LITVRGIA SACRA, SEV RITVS MINISTERII IN Ecclesia peregrinorum profugorum propter Euangelium Christi ARGENtinæ.

845 a 22
2

ADIECTA EST AD Finem breuis Apologia pro hac Liturgia, Per VALERANDVM POLLANVM Flandrum.

PSALM. 149.
Laudem Deo canite in Ecclesia Sanctorum.

Cum Priuilegio ad imprimendum solum.

1551.

SERENISSIMO PRINCIPI
Eduuardo Sexto huius nominis
Regi Angliæ, Franciæ, Hiberniæ,
Et Catholicæ Fidei vere defen-
sori salutem & pacem per
CHRISTVM.

QVOTIES APVD me reputo hæc tẽpora, in quę incidimus, Magnanime Rex, idemq; Princeps Clementissimę, persæpe in ea cogitatione hærere soleo, quidnam mortales tam diu remoretur, ne ad unius ac solius ueri DEI cultum legitimum & uerum accedant. Superstitionis magna equidem uis est hominum mentibus altè insita uitio originis, uerum ita nunc sunt explicata omnia in rebus diuinis, & toto cultu Dei, nulli ut supersit aliquis excusationi locus: quin uel palàm proteruæ impietatis statim reus sit, uel nimium excors meritò uideatur. Nam si quis se ideò uerum ignorare dicat, quia non sit eruditus, uel quia cum iis uersatus non sit, qui possent docuisse: quid hoc homine

magis uecors inueniri, aut cogitari po-
test? In tantáne luce Euangelij cæcutire?
aut in tanto ſtrepitu obſurdeſcere? hoccis-
ne tolerabile? Quæ etenim regio, qui locus,
quis angulus, cui non hæc lux illuxerit? aut
quo non Euangelica tuba pertonuerit? adeò
ne tabernæ quidem ipſæ huius uel lucis, uel
clangoris expertes fuêre. Quod tametſi
male feriati homines uitio dare ſoleant: tas
men eò nil amplius proficiunt, quàm ut ſe
magis reos faciant apud Dei tribunal: quòd
in cauponis tonſtriuis thermis, & poſti-
bulis, (Pax ſit auribus T.S.R.M.) liceat
magis audire uerbum Dei, quàm in ipſorum
templis: quæ uidemus tamen interea ſeruis-
re, uel mercatorum non ſemper iuſtis nun-
dinationibus: uel prauæ ſuperſtitioni: uel
otioſorũ hominum fabulis: ut ne quid addam
grauius, aut acerbius de turpibus lenonum,
& aliorum peßimorum hominũ procuratio
nibus. O quando dabit Deus hoc T.S.M.R.
quod cæpiſti ipſicere, ut quemadmodũ Chris
ſtus è tẽplo ſemel eiecit eiuſmodi nebulões,
ita hoc exemplum imitatus, Eccleſias pri-
mũ, hoc eſt paræcias omnes, lupis & uulpi-
bus, cauponibus & negotiatoribus ereptas,
ueris paſtoribus reddas, qui ueræ doctrinæ

pabulo

pabulo populum T. M. à Deo commendatum pascant: deinde templa ipsa iubeas restitui Christi Ecclesiis: nempè, ne deinceps malis hominibus seruiãt ad impietatem: sed Ecclesiæ Christi ad pietatem, ad audiendũ uerbum Dei, & preces, ac sacra sua omnia peragenda. Non ulla re magis gratificari Deo poßis, quam si hac potestate & imperio, quod eius beneficio à D. Henrico Rege præclarißimæ memoriæ hæreditariò consecutus es, utare ad instaurationẽ regni Christi, depulso Antichristo cum suis fraudibus omnibus. Hoc pacto uerè id re præstabis, quod in ore est omnium, quasi hoc seculo nimium corrupto sis tanquam Ioßias alter cœlo nobis donatus. Is certè Rex adhuc puer tam fœlix fuit, ut suorum consiliis frestus, iam pro cultu Dei pugnaret. Idem cum adoleuisset, atq; annum attigisset 18, benè cœpta melius absoluit: & procul pulsis omnibus iis quæ contrà Dei mandatum, aut non expreßa uerbo ipßius in cultu diuino cæperant usurpari, legem Dei suo loco, & totũ cultum legitimum restituit, dirutis ac eiectis prorsus omnibus idolomaniæ instrumẽtis. Quid porrò inde cõsecutus est? Nempè laudem à Deo absolutiß. qualẽ superiorum

Regum post Dauidē nemo assecutus est. Ita Maiestati T. propè eadem ætate diuina misericordia datum, ut in ipsis Regni tui auspiciis consilio & prudentia, ac pietate imprimis nobilissim. grauissimorūq; uirorum, quibus tua infantia fuerat à sapiētissimo R. patre commendata, horum inquam consiliis sub tuo nomine cæptū est in tuo regno Christi regnum instaurari: adeoq; paulatim cedente superstitione redire cæpit uera religio. Iam annum attigisti decimum quintū: & non minora sunt patrata sub tuo nomine, quàm sub Iosia fuerant, cum id ætatis attigisset. Macte igitur uirtute esto: & qua uides stratam esse uiam pergito: ut si non ante, saltem cum id ætatis attigeris, qua Iosias ille supremam manum imposuit sanctissimis conatibus suorum, ita tu præclara tuorum molimina perficias. Et si id antè perficiet Deus (uti magnam spem boni ac pij omnes concipiunt ex anteactis) credito nullum Regnum fore florentius, mox ubi plenè Christus tecum regnare ceperit: atq; adeò M. T. potentiam qua illius munere apud mortales pollet, illi subiecerit.

Sed redeamus undè digressi fueramus. Non probrum est uerbi Dei, si in locis mundo

do profanis personet: uerũ illis probro esse debet, quorum officium erat id sedulò curare, passim ut Euangelij doctrina exaudiretur. Valdè metuendum ne ira DEI aliquando accensa in eos deflagret, per quos accidit hæc remora uerbo & Euangelio Christi. Quamuis porrò cessent Pastores docere, uel Episcòpi mittere qui doceãt, & pascant gregem Dei, nemo tamen sibi polliceatur in iudicio Dei excusationem, quòd legem ipsius ac Euangelium non agnôrit. Etsi enim ab illis non licet, licet tamen unicuiq; à suo uicino audire illud, quod per Prophetam Deus pollicetur in ultimis temporibus futurum, ut unusquisq; proximũ suum hortetur & excitet ad cultum Dei, sint omnes docti plenissimèq; à Deo: nisi forsitãsse aliqui sua malitia doctorem hunc blandissimum respuant. Neq; plus habent excusationis sapientes alij in mundo, cum obscuritatẽ doctrinæ huius obtendunt, & se intelligere illam negant. Certè ualde pudendum est, nullum esse doctrinæ genus, nullam esse Philosophiæ partem ab illis non copiosè explicatam: nullũ esse uitæ huius negotiorum momentum nõ probè notum ac penitus perspectum, solam Philosophiam Spiritus sancti

obſcuram uideri, ac ſalutis uitæq; æternæ rationem contemni ac negligi. Contemptum hunc doctrinæ ſuæ uindicabit olim Chriſtus acriter: & uidebũt iſti quàm inſanierint, dũ uitam corporis ac mundi huius fluxam & miſeriarum plenam pluris faciunt, quàm uitam animi beatam ac cœleſtem illam æternam cum Chriſto & angelis ipſius ſanctis. Nimis hoc impudens eſt, cæteras doctrinas claras & dilucidas putare: ſolam Euangelij doctrinam obſcurã dicere. Sermo eſt Spiritus ſancti: non hominum, etſi per homines nobis datus. Porrò ſi prima uirtus eſt oratoris dilucidè dicere, uiderint iſti quàm prudenter hoc crimen impingant ſpiritui ſancto, dum eius doctrinam adeò obſcuram faciunt, ut delio natatore opus habeat. Clara, expedita, & dilucida ſunt omnia, quæ ad ſalutis cognitionẽ Spiritus ſanctũ nobis per Prophetas ſuos elocutus eſt. Sed ea eſt noſtræ ſapientiæ malitia, ut cum nolimus amplecti ſalutem oblatam, facilè eauſam cõmiſcamur, ut meritò cõtempſiſſe uideamur. Sic ad excuſanda peccata (ut eſt apud Pſalmographum) ſumus docti & parati. Sed quis cum Deo poterit contendere, ubi ad iudicium uenerit? Tum manifeſtum fiet, ignoran-

ignorationem salutis, aut obscuritatem doctrinæ eiusdem mundo causam non dedisse ruinæ: sed philautiũ, atq; adeò amorẽ rerum externarum, & sæculi huius, quas insani homines solum ad se putant pertinere. Itaq; se plurimum sapere putant, si augendis honoribus, cumulandis opibus fœlici aliquo successu incumbant, ut postea se dent uoluptatibus, uitæ futuræ obliti: illos uerò insanire, qui spretis rebus huiusmodi, agnoscentes suum πολίτευμα cœlicum, totis uiribus, ac summo studio ad hanc uitam enituntur: In hac una acquiescunt. Faxit Christus ut aliquando suam insaniam huiusmodi homines agnoscant. Det aũt R. T. M. hanc gratiam ut in hac Celsitudine & summa potẽtia nũquam obliuiscaris illius, qui, ut tibi ac toti mundo patrem conciliaret, reditumq; in cœlum pararet, ac uitam æternam donaret, uoluit, cum Deus esset, homo esse quoq;, ut in forma serui inuentus posset tanti boni potiundi & adipiscendi pretium ipse dignũ persoluere. Hæc si uerè T. M. intellexerit, atque his assenserit, non dubito, quin, tãquam in die manifesto, uideas quibus constet uerus Dei cultus inter mortales in hac uita: ac pro T. M. Imperio quàm mox iubeas eundẽ

cultū in tuo regno exerceri & usurpari: exē plo Darij Medi Regis potentiß. qui mox ut agnouit uerū Deū per Danielē, huic uni Deo per totū ſuum Regnum legitimum cultum decreuit: atq; cum unum iußit ab omnibus timeri, coli, ac metui. Huius Monarchæ, & Ioſiæ Regis Iehuda ſi exēpla tibi proponas, non dubito quin Deus ad hoc Regnum ſit etiam alia fortaſſe adiecturus. Attamen hoc dabit, ut fœliciſſimo beatiſſimoq; ſucceſſu omnia T.M. in hoc regno eueniant, ſiſq; cunctis Regibus terræ uenerandus, & metuendus. Sed quo ego digredior? Non noſtrum hoc onus, Bos clitellas. Verum R.M.T. Clementia hanc mihi audaciam dat, ut non uerear uota mea, quæ pro ipſa quotidie ad Deum Patrem Domini noſtri Ieſu Chriſti fundo, etiam ſcriptis aliquando apud eandē T.M. teſtata facere. Sed de præſenti inſtituto iam libet paucis M.T. alloqui. Cum nihil ſit homine ingrato hominibus ac Deo magis inuiſum: iura aūt hoſpitij atq; officia apud omnes etiā feriß. quoſq; homines ſemper ſanctiſſima extiterint, facturus operæ pretium mihi uidebar, ſi Eccleſiæ peregrinorum propter Euangelium Chriſti Argentinæ ritus & mores nunquam ſatis laudatos

datos latinè in lucem ederem, ut cognosci ab omnibus possent. Si porrò illi qui in Turcæ aula uersati sunt, ac postea Turcarum mores scriptis docuerunt, à nemine uituperantur: quis reprehendat hoc meum studiũ pro Ecclesia, in qua & Christi cognitionem pleniorẽ sum adeptus, & cultum eius uerũ ac spiritualẽ didici perfectius. Sed hoc etiã facere pro meo officio debui, cũ intelligerẽ, apud aliquos malè audire Ecclesiam illam, tum religionis mutatæ (ut dicunt) nomine, tum ob licentiã morũ: quasi ibi unicuiq; suo more uiuere liceat. Ego ante octo annos ad eam Ecclesiam accessi, & in ea ministraui in ordine Presbyterij per annos aliquot, itaq; mores, ritus ac iudicia sic mihi sunt cognita & perspecta, ut de fide mea nemo hic dubitare debeat. Sunt præterea in Regno isto uiri Clarissimi Doctor Bucerus & Doctor Martyr, aliique non pauci neque obscuri, non solum Peregrini, sed Angli quoque: qui cum ista legent, testes erunt ne uerbum quidem à me effingi: sed quasi interpretem ea tantum fidelissimè narrare, quæ ibi geruntur. Primò Liturgias omnes cultus Diuini ita expono, ut qui legat attentius, spectare, non legere se putet.

Atq;

Atq; hæc prima erat pars explicanda: in qua nihil desiderari omnino confido. In altera parte, quæ est de Disciplina Ecclesiastica, breuior sum. Sed tamen non puto nihil esse ista, quæ hic à me exponuntur, ut intelligãt homines, quàm impudens sit calumnia, Ecclesiam illam esse quasi sentinam aliquã, quo confluãt undiq; ex omnibus Regnis peßimi, ut suo more & ingenio quiq; uiuant. Sed de hac disciplina Aphorismos habeo, quos breui etiam in lucem edam quò mortales omnes intelligant, quemadmodum in cultu Dei externo, ita etiam in disciplina morum, nullam esse illa Ecclesia puriorem, aut quæ propius accedat ad illam, quæ fuit temporibus Apostolorũ. Neq; hoc arroganter dictum uelim quisquam existimet in reliquarum Ecclesiarum contemptum. Dum enim hanc Ecclesiam laudo, simul etiam Geneuensium Ecclesiam laudo, in qua summa cum laude multis annis iam præfuit D. Ioannes Caluinus, primus huius Ecclesiæ profugorum apud Argentinenses institutor: Laudo etiã Lausanensem Neocomensem, Tigurinorum, ac Basilienſiũ Ecclesias, quarum omnium idem est institutum: non admodum dispares ritus, & idem consensus, disciplinam in quam hæc

Eccles

Ecclesia studiosissime colit: Laudo denique quæ adhuc pura est, Argentinensiũ Ecclesiam, in qua hæc fouetur. Ergo diecularum aliquot laborem hunc ita spero non infructuosum fore, si multi cognoscant huius Ecclesiæ integritatem. Sed multò erit maior, & mihi optabilior, si quibus uidebitur laudatissimum hoc institutũ dignum, quod sibi ad imitandum proponant. Ego uerò hoc consilios R. M. T. dedicãdum putaui, primũ ut sub tuæ M. T. nomine Ecclesiam illam toti mundo commendarem: atq; hanc etiam quæ in urbe tua Londinensi iam ante biennium instituta à Gallis, nuper etiam T. M. ac Senatus tui amplissimi autoritate confirmata, magis commendarem: quò scilicet illius Senat. Argent. exẽplo excitetur indies magis T. M. ad suscipiendã huius Ecclesiæ tutelã. Profugi, extorresq; sunt: sed non minus fideles tuæ Maiestati, quàm si in regno hoc nati & educati essent. Cur enim, cum solum omne forti sit patria, non hanc patriam agnoscant, in qua liceat summa cum pace in uera Christi religione atq; eius professione, liberrime uiuere? Altera causa fuit, ut librũ hunc T. M. uelit ab inuidorum & malcuorum incursionibus uindicare & tueri: atq;

adeò

adeo meipsum, qui hac æditione nihil præterea aspectaui, quàm Dei gloriam, & Ecclesiæ suæ ædificationem. D. Iesus R. M. T. donis omnibus gratiæ suæ semper magis magisq; augeat: détque fœliciter cum laude multis annis nobilis. hoc Regnum augustissimè regere & administrare. In Aula T. M. Vvestmonasterienſi 19. Febru. An. Christi 1551. qui est Iosiæ Regni 2210. Faxit Christus ut Regem illum piiss. quemadmodũ puer cæpisti puerum, sic pergas ubi ætas adoleuerit in bonis omnibus imitari.

Serenis. Regiæ M. T. Fidelis atque obediens subditus
VALERANDVS POLLA.

Errata quædam per incuriam admissa.

Fol.6.b.uer 6.dele,nostro. Fol.10.a uers. à fine.7.lege,Nec porrò.

Versu.4.à fine.lege,munificentiam.

Fol.14.b.uers.1.lege,præter exitiũ.uers.à fine.9.lege,exitium.fol.15.b.uers.4.lege, malaq; omnia,quæ.

Fol.14.à uer.13.Sacramenti huius fructu, nos defraudemus ulla.

Fol. 24.b.uers.13,Deum exornasse, uers.à fine.6.iungi possint.

Fol.27.a uers.à fine.2.misericordiã ipsius, cuiq;. Fol.28.à uers.11.Habet enim urbs illa in suburbiis cœmiteria.6.aut octo latae & ampla,clausa muris,aut roboribus,ne uulgo pateant. Atq; illuc referuntur omnia funera.Nulla prorsus cadauera in urbe licet sepelire.Fol.30.a uers.à fine.5.dele,eos.

Fol.31.b.uers.6.professi sint, uers.20.amplissimo Senat.

Fol.33.a uers.4.& uoluntatem.Versu.14, personis nemo ignoret. uers.à fine. 7.toristate uerbi.b.uers.7.cum illius aspectu.

Fol.36.a uers.8.suis ouibus. b.uers.13.tiquum,absq; autoritate uerbi Dei tamen:sed habet.Fol.37.b.uers.8.& fideliss imè.uers.à fine.5.diligenter intueantur.uers.3.ponãt.

LITVRGIA SACRA, SEV RITVS MINISTERII IN Ecclesia, quæ est peregrinorum profugorum causa Euangelij Christi Argentinæ.

LITVRGIA DIEI Dominici:

Die dominico mane hora octaua, cum iam adest populus, Pastore accedẽte Choraules incipit clara uoce, LEVE LE CVEVR, ac populus accinit cum modestia & grauitate summa, ut ne quid uoluptati aurium, sed seruiant omnia reuerentiæ Dei, & ædificationi, tam canentium, quàm audientium, si qui fortasse adsint non canentes. Est decalogus rithmo redditus.

Cum absoluerint primam tabulam, tũ pastor mensæ astans uersus ad populum sic incipit.

ADIVTORIVM nostrum in nomine Domini, qui fecit cœlum & terram, Amen.

Deinde clara & distincta uoce populum admonet de confessione peccatorũ, hisq; uerbis præit.

Fratres, cogitet nunc uestrum unusquisq;, se coràm Deo sisti, ut peccata & delicta sua omnia simplici animo confiteatur & agnoscat, atq; apud uosmetipsos me præcũtem sequimini his uerbis.

CONFESSIO PECCAT.

DOmine Deus Pater æterne & omnipotens, agnoscimus & fatemur ingenuè apud sanctißimam Maiestatem tuam, peccatores esse nos miseros, adeoq; à prima origine, qua concepti & nati sumus tam ad omne malum esse pronos, quàm ab omni bono alienos: quo uitio tuas leges sanctißimas aßiduè trasgredimur, eoq; nobis exitium iustißimo tuo iudicio conquirimus. Attamen Domine Deus, pœnitet sic offendisse bonitatem tuam, proindeq; nos & facta nostra omnia nimium scelerata damnamus, orantes, ut tu pro tua clementia huic nostræ calamitati succurras. Miserere igitur nostri omnium, ô Deus & Pater clemẽtißimè ac misericors, per nomen filij tui Iesu Christi Domini nostri te obtestamur: ac deletis uitiis, ablutisq; sordibus cunctis largire, atq; adauge indies spiritus tui sancti uim & dona in nobis, quò uerè & seriò nostram miseriam intelligentes, nostramq; iniustitiam

Psal. 51.

iustitiam agnoscentes, ueram pœnitentiam agamus: qua mortui peccato deinceps abũdemus fructibus iustitiæ ac innocentiæ, quibus tibi placeamus per Iesum Christum filium tuum unicum redemptorem ac mediatorem nostrum, Amen.

ABSOLVTIO.

Hic pastor ex scriptura sacra sententiam aliquam remissionis peccatorum populo recitat, in nomine patris, & filij, & spiritus sancti. Ac toto hoc tempore populus magna cum reuerentia uel astat, uel procũbit in genua, utut animus cuiusq; tulerit.

Demum pronunciato Euangelio hoc remissionis peccatorum à pastore, rursum populus præeunte Choraule totum decalogum absoluit, tum pastor ad orandum hortatus Ecclesiam his uerbis ipse præit.

ORATIO.

Dominus adsit nobis, ut Deum oremus unanimes:

DOMINE Deus Pater misericors, qui hoc decalogo per seruum tuum Mosen nos Legis tuæ iustitiam docuisti: dignare cordibus nostris eam ita tuo

ſpiritu inſcribere, ut nequicq̃ deinceps in uita magis optemus, aut uelimus, quàm tibi obedientia cõſummatiſſima placere in omnibus, per Ieſum Chriſtum filium tuum, Amẽ.

Hic Eccleſia eandem orationem uerbis propè iiſdem Choraule præeunte ſuccinit.

Interea paſtor ſuggeſtum conſcendit ad concionandum: ac primum nomine Domini inuocato, ut ſpiritu ſancto adiutus poſſit digna Deo, atq; ſalutaria Eccleſiæ eloqui, recitat: deinde ex nouo Teſtamento textum aliquem, non illo quidem modo, quo truncatim fieri uidemus in miſſariis libris, ſed quem librum ſemel erit aggreſſus exponere Eccleſiæ, in eo pergit uſq; ad finem. Neq; amplius recitat, quàm interpretari inſtituerit.

Concionem horæ ſpatio abſoluit, ac ſubiecta precatione cõcludit. Admonet autem prius Eccleſiam, ſi qua ſunt digna aut neceſſaria. Nempe ſi ſponſalia ſint, ſi baptiſmus, ſi quis pauper, aut ægrotus ſe commendat precibus Eccleſiæ, & cæt. eiuſmodi.

Interea Diaconi duo totam Eccleſiam circumeunt à ſingulis eleẽmoſynam poſtulans

ſtulantes in pauperum uſus: ſed cum ſilentio, ne preces turbent. Itaq; ſacculum pendulum longa uirgula ante ſingulorum oculos ponunt. Atq; iidem ad oſtiũ templi aſtant, ut ſi qui forte ad preces magis attenti nihil contulerint, iam in egreſſu dent ſuam eleëmoſynam.

ORATIO.

DEVS omnipotens Pater cœleſtis, tu quidem promiſiſti exaudire uota noſtra, quacunq; de re te appellauerimus in nomine dilecti filij tui IeſuChriſti Domini noſtri: nos quoq; ille ſic docuit, ſanctos cœtus inter nos habere in nomine ſuo, promißis liberalibus etiam inuitans, quòd his cœtibus noſtris adfuturus ſit medius, quo uno mediatore & interceſſore abs te impetremus quicquid unanimes petierimus ſuper terram. Ioan. 16. Matt. 18. 1. Tim. 2.

Imprimis aũt iubes nos orare pro omnibus quoſcunq; in poteſtate ſupra nos eſſe uoluiſti: ac deinceps pro iis rebus quæ ad uſus neceſſarios populi tui atq; omniũ hominũ pertinent. Cui mandato tuo obtemperantes, ſola fiducia ſanctiſſimi inſtituti tui, ac promiſſorum tuorum freti, huc coram te conuenimus in nomen Chriſti filij tui Domini noſtri,

ſtri, rogantes ex animo ſupplices, ô Deus idemq; Pater optime, in nomine liberatoris unici, eiuſdemq; mediatoris noſtri, liberaliter nobis pro tua clementia condones omnia peccata, noſtraq; corda, mentes, cogitatus ac uota omnia ſic ad te flectas & pertrahas, qui ualeamus te inuocare uera & ſimplici oratione, quæ tibi grata ſit & accepta.

R. Oramus itaq; tuam clementiam ô Pater cœleſtis pro principibus & hominibus cunctis poteſtatem gerentibus ſeruis tuis, quibus abs te mandatum eſt ius dicere populo tuo: nominatim uerò pro Cos, & Senatu huius urbis, ut ipſis largiri digneris ſpiritũ tuum, qui uerè princeps eſt & uoluntatum moderator, eiusq; dona uim & gratiam indies magis magisq; adaugeas: quo ſimul uerè agnoſcãt unum ac ſolum Chriſtum filium tuum Dominum noſtrum Regem Regum, ac principatum tenentem ſupra omnem poteſtatem, cui nempè abs te data ſit poteſtas omnis in cœlo & in terra: & certa fide perſuaſi, totis animis ſtudeant uerò ac ſpirituali cultu ſeſe illi approbare, regnumq; ipſius apud ſubditos ſuos promouere & amplificare, quos etiam regant iuxta præſcriptum uoluntatis tuæ ex lege tua, ſicuti certò nôrunt

1. Tim. 6. Actu. 17. & 19. Mat. 28.

runt se & illos abs te factos & conditos, adeoq; oues esse tuorum armentorum: liceat itaq; tuo beneficio pace frui, in qua tibi seruiamus cum omni sanctitate & honestate, liberatiq; ab inimicis nostris tibi gratias, & laudes persoluere queamus. Luc. 1.

Oramus etiam, Pater uerax & liberator unice, pro iis quos Ecclesiæ tuæ dedisti pastores, & salutis animarum procurationem ac sacrosancti Euangelij tui ministerium commendasti: eos tuo spiritu sic regas & adiuues, ut sint fideles ministri gloriæ tuæ, huc studia omnia conferentes, quò palabundus adhuc ouium tuarũ grex in unum coëat ad Iesum Christum uerum ac summum pastorem, Principemq; Episcoporum: uti in eo & per eum indies magis atq; magis crescãt cum omni iustitia & sanctimonia uitæ.

Rursum dignare Ecclesias omnes tuas uindicare & eripere è luporum faucibus, ac mercenariorum omnium unguibus, qui ambitioni suæ seruiunt, & compendij sui gratia faciunt omnia, nihil minus solliciti, quàm ut sacratissimum nomen tuum celebre ac sanctum ubique sit, & grex tuus salutem consequatur. 1. Pet. 5.

Insuper te rogamus ô Deus clementissi-

& Pater misericors, pro uniuerso hominum genere: ut qui uelis agnosci ab omnibus toto orbe terrarum liberator unicus, parta redemptione per Christum filium tuum, digneris etiam quotquot adhuc hodie ab eodem Christo filio tuo longius absunt uincti sedentes in tenebris, & omni salutis ignoratione, spiritu tuo illustratos per prædicationem Euangelij in rectam salutis uiam reducere, nempe ut agnoscant te uerũ Deum, & quẽ misisti Iesum Christũ. Quos uerò iam eo fauore dignatus es, ut eorum mentibus illucescere manifestatiõe uerbi tui, fac indies omni bono ac benedictionis tuæ spiritualis abundantia auctiores ac beatiores euadant: quò tandem aliquando ualeamus omnes unanimi consensu uerè & ex animo tuam maiestatem adorare, & laudibus extollere, ac deniq; nos totos in clientelam tradere unigenito tuo, quem solum nos agnoscimus Dominum Regem ac legislatorem nostrum.

Ioan. 17.

Ad hæc, eos tibi commendamus etiam ô Deus consolator, quos uisitas ut castiges cruce uel, quocunq; afflictionis genere, & populos quos tu iam peste, bellone aut fame urges, singulos deniq; quos aliqua per

te

te premit inopia, uel carcer, aut morbus, aut exilium, aut quæcunq; tandem calamitas seu corporis illa, sit seu animi: da ut intelligant tuam erga illos uerè patriam beneuolentiã, nempè quòd idcò castiges & corrigas, ut emendati reuertantur ad te ex toto corde suo, ac plenam consolationem reportent liberati ab omnibus malis.

Da deniq;, ô Deus & Pater, nobis iam collectis in unum in nomine Iesu Christi filij tui ad audiendum uerbum Euangelij, * & * Stellulis communicandum sacrosanctæ ipsius cœnæ inclusa so mysteriis * ut uerè agnoscamus, serioq; sen- lum dicũ- tiamus quàm miseri simus ac perditi iam in- tur quo de à prima nostra origine, indies magis atq; die Cœnæ magis, iudicium tuum in nos prouocantes Domini uitæ improbitate: itaq; ubi perspexerimus celebra- quàm nihil in nobis insit boni, quodq; nostra tur, alias caro & sanguis regni tui hæreditatem cõ- omittunt sequi haud quaq; possint, tum animis totis tur. nos ipsos dedamus unicè dilecto filio tuo Iesu Christo liberatori nostro unico, ut ita nos possideat, & corda nostra inhabitet, quò mortuo, ac planè deleto ueteri Adamo inno- uemur in uitæ puritatem, qua nomen tuum 1. uti par est, supra omnia ubiq; laudibus ex- tollatur & magnifiat. Simul etiam ius im- 2.

N. Hæc est paraphrasis (3, dominicæ orationis, quæ omittitur tamen si ita pastori obtemporis angustiã uisum fuerit, tumq; satis est ipsius orationis dominicæ uerba recitare.

periumq; obtineas, imò exerceas etiã in nos omnes, ut magis magisq; indies condiscamus uera obedientia & digna reuerentia tuam maiestatem uenerari. Tuq; adeò solus ubiq; regnes omnium Dominus, ac populũ tuum sceptro uerbi tui & uirtute spiritus tui regas & moderere, expugnesq; omnes qui inimico animo aduersantur tibi: ac debelles eos ueritatis ac iustitiæ tuæ potentia. Ita fiet ut potestas omnis atq; celsitudo, quæ gloriæ tuæ obluctatur, sensim destruatur funditusq; euertatur, donec palàm fiat regnum tuũ, quòdq; tu solus Rex sis & Dominus, qui ad iudicandũ accedes. Nos quoq; cum creaturis uniuersis tibi per omnia obtemperemus, sicuti nouimus Angelos sanctos, qui tecũ cœlos incolunt nullum uelle aliud habere, quàm ut quicquid tibi gratum & placitum fuerit statim absq; remora pro tuæ uoluntatis arbitrio perficiatur: nos ita tibi quoq; placere studeamus neglectis ac posthabitis cunctis nostræ carnis desideriis & placitis.

4. Donec autem nos coram te ambulamus cum amore & timore nominis tui, Tu pro tua bonitate nutrias & pascas, omnia sufficiens quæ uitæ huic sint necessaria, qui panem

nem nostrum cum pace comedamus, qua tua cura & sollicitudine nostri persuasi nobis sit te patrē esse, à quo uno expectanda sint omnia, posita omni fiducia nostri ac creaturarum omnium, ut in tua unius bonitate ac beneuolentia acquiescamus.

Quoniam uerò quandiu uita hæc manet 5.
nos miseri peccatores in morte media uersamur, ac fragiles adeò sumus, ut perpetuò prolabamur impingētes ad omnia, semperq; aberrantes discedimus à recto, nobis hac in parte sic esto propitius, ut cōdones hæc delicta omnia, quibus iudicio tuo iustissimo nos fecimus obnoxios: eadēq; condonatione liberes à morte æterna, cui nostro merito addicti sumus. Ergo malū hoc quodcircūferimus ne nobis imputes: quemadmodum nos quoq; tuo iussu iniuriarū obliuiscimur, ac uindictæ loco bona omnia nostris inimicis precamur.

In posterū denique nos tua uirtute fulcias, Mat. 6.
ne rursum carnis infirmitate prolapsi te of- 6.
fendamus. Cumq; ea sit nostrarum uiriū imbecillitas, ut ne ad momentū quidem tēporis perstare ualeamus, atq; adeò cincti undique crudeliss. hostibus perpetuā impressionē patiamur à diabolo, mūdo, & carne, quibuscū nobis cōtinuū est bellū: nos tuo spiritu corro

bora,

bora, & gratiarum tuarum donis munias, ut poßimus constanter perstare aduersus omne genus tentationes, inq; spirituali hac lucta sic pergere, ut tandem uictoria plena potiti triumphum agamus in regno tuo una cum duce & capite nostro, summoq; & unico protectore nostro Domino Iesu Christo, Amen.

Huic precationi immediatè Symbolum additur, quo recitato à Pastore Choraules statim Psalmum incipit, cui deinde populus accinit ad finem usq;: quo decantato Pastor populum dimittit hac bona imprecatione.

BENEDICTIO POPVLI IN discessu. Nume. 6.

Dominus uobis benedicat, idemq; uos tueatur. Dominus respiciat uos hilari uultu, ac misereatur uestri. Dominus placatus uultum suum ad uos conuertat omniq; fœlicitate uos beet, Amen.

Quo die uerò Cœna celebratur, iam non pastor Symbolum recitat, sed finita oratione populus totum Symbolum decantat. Atque interea pastor ad mensam accedit, quæ ita sita est in extremo templi, ut totam Ecclesiam & mẽsam ipsam possit habere ante conspectum suum: ubi ipse, uel Diaconus panem & uinum ad ad Cœnam exponit & apparat.

Celebratur Cœna secundo quoq; Dominico die.

Finito Symbolo, cum tota Ecclesia summa uenerationе se dat orationi, pastor ipse his uerbis præit.

ORATIO.

ATque uti Dominus IESVS non solum una oblatione corpus suum & sanguinem tibi obtulit in remissionem peccatorum, sed eadem nobis uult impartiri in almoniam uitæ æternæ: ita nos eo fauore prosequere, ut tuo auxilio possimus syncero corde, ac studio ardenti tantum ab illo beneficium accipere: nempe ut certa fide imbuti participes corporis & sanguinis ipsius efficiamur: imo uerò illo toto & integro perfruamur, qui uerè Deus & homo est, & simul panis ille sacrosanctus cœlo nobis

bis datus in uitæ ἀλιμονίαν, quò deinceps non amplius nobis uiuamus, ut nostro ingenio nimium corrupto & uitiato obtemperemus: sed ille solus in nobis uiuat, atque in uitam perducat sanctam, beatam, & æternam. Porrò deinceps facti participes testamenti sui noui atq; æterni, quod est fœdus gratiæ, certiss. nobis id persuasum sit & te patrẽ nostrũ esse benecuolũ, q nulla peccata aut delicta nobis imputes, quin etiã uti hæredibus ac filiis dilectissimis necessaria oĩa uitæ prospicias atq; subministres cũ corpori, tum animæ, quò tibi gratias agamus immortales sine fine laudantes nomen tuũ cum uerbis & oratione, tum factis & tota uita.

Da igitur pater cœlestis ad hunc modum hodie excitari in nobis memoriam dilecti filij tui, nosq; ea exerceri ad prædicandum beneficium mortis eius, ut nouis subinde fidei accessibus aucti corroboremur ad omne bonũ, ac singulari summaq; fiducia te inuocemus ac patrem agnoscamus, ut in nomine tuo gloriemur, Pater noster qui es in, &c.

Qua precatiuncula absoluta monetur populus, quotquot cœnæ communicant eo testari apud Deum fidem suam cum summa deuotione sui in uitã & mortem

pro

pro doctrina ac religione Christi: deinde sic clarißima uoce pastor Cœnæ Dominicæ institutum recitat, &c.

INSTITVTIO COENÆ DOmini. 1.Cor.11.

AVdite, uti Dominus Iesus sacrosanctum hoc epulum suum instituerit, quod à Paulo traditum accepimus.

Accepi (inquit) à Domino id quod uobis quoq; tradidi. Nempe Dominum Iesum qua nocte traditus est panẽ accepisse, gratiisq; actis fregisse & dixisse: Accipite, edite, hoc meũ est corpus, quod pro uobis frãgitur: facite hoc idẽ in mei memoriam. Simili modo Cœna facta poculum his uerbis, Poculum hoc testamentum nouum est in meo sanguine: hoc facite quotiescunq; bibetis in mei memoriam. Quotiescunq; enim ederitis panẽ hunc, & de poculo isto biberitis, mortem Domini annunciabitis usq; dum ueniat. Proinde quisquis panem hunc ederit, aut de poculo Domini biberit indignè, reus erit corporis & sanguinis Domini. Eiinuerò probet homo seipsum, & sic de pane illo edat, & de calice bibat. Qui enim edit & bibit indignè, iudicium sibi ipsi edit & bibit, non diiudicans corpus Domini,

His

His subiicit excommunicationem summa grauitate: Cuius hæc est formula.

AVdiuimus, fratres, quonam modo Dominus noster Cœnam fecit cum discipulis: quo docemur nullis exteris aut alienis ab Ecclesia locum hic esse. Itaque hoc exemplo edoctus, per nomen & autoritatem Domini nostri Iesu Christi excommunico idololatras omnes, blasphemos, Deiq; contemptores, hæreticos, quiq; sectis uariis Ecclesiam scindunt, cuius maxima esse debet coniunctio & unitas, periuros, quiq; immorigeri sunt parentibus, ac superioribus omnibus, seditiosos, & pacis turbatores, plagiarios, percussores, litisatores, susurrones, scortatores, fures, raptores, auaros, ebriosos, heluones, quoscunq; deniq; qui dissolutæ uitæ prauo exẽplo Ecclesiæ scandalũ dant. Quibus hoc edico, ut hac mensa procul absistant, ne sacrosanctas epulas contaminent, quas Dominus noster Iesus Christus solum iis impartitur, qui sunt familiares ac domestici fidei.

Huic addit exhortationem de Cœnæ usu suo arbitrio, modò sit ueritati & Euangelio conueniens. Hac autem ferè uti solet.

Proinde

PRoinde quemadmodum hortatur D. Paulus, probet atq; examinet unusquisq; suam conscientiam & animum: num uera pœnitentia anteactæ uitæ tangatur, ac uerè ex animo optet sanctius porrò uiuere ad præscriptum legis diuinæ. Imprimis autem illud, num fidat misericordiæ Dei, atq; in uno Christo Iesu spem salutis uniuersam ponat, positoq; omni odio & simultate certo, iam apud se statuat in omni deinceps uita concordiam cum fraterna dilectione colere.

Hoc si nobis coram Deo apud nostras conscientias probè constat, nil dubitemus nos nunc pro filiis ab ipso agnosci, cum Dominus Iesus nos ad suam mensam inuitet, ut ibi accipiamus sacrum hoc Symbolum quod discipulis participandum & communicandum distribuit.

Tametipsi porrò in nobis multam sentiamus imbecillitatem cum summa miseria: nèspè nos fide integra & solida haud quaquam præditos, pronos autem ad omnem incredulitatem, & dubitationem de diuinis promissis, ac socordes nimium in cultu Dei: quibus etiamnum indies ac fere in horas recrudescit bellum cum carne & eius desiderijs, at-

tamen quando nos tanto fauore prosecutus est Dominus noster, ut Euangelium suum cordibus nostris insereret, quò contra hanc incredulitatem staremus, ac desiderium in nobis singulare accenderet, quò ualere iußis omnibus affectibus, ac desideriis nostræ uoluntatis iustitiam ipsius, & legis eius decreta sectaremur, certißimè persuasos nos esse oportet nihil hæc uitia nostræ imperfectionis obstare posse, quin is pro suis nos agnoscat, dignosq; habeat ac faciat participatione spiritualis huius mensæ. Neq; enim huc ideò accedimus, ut testemur ullam in nobis iustitiam aut perfectionem: quin imo uitam nostram agnoscentes in Christo abscõditam, inibi quærendam esse fatemur, ac nos ipsos totos in ipsa morte uersari. Discamus itaq; sacramenti huius usu ægris animis mederi. Nam ita demum digni erimus approbante nos Domino nostro, si nosipsos agnoscamus, ac pertæsi peccatorum & uitiorum nostrorum in ipso uno acquiescamus.

Primum itaq; uerbis illis credamus, quibus Dominus Iesus, qui est ueritas certißima nunquàm fallens, ipse promisit se facturum nos participes corporis & sanguinis sui, quò sic illum totum posßideamus, ut uiuat

nat ipse totus in nobis, nosq; in ipso.

Quanquàm autem nihil hic nisi panem & uinum cernamus, non dubium tamen esse debet, spiritualiter, hoc est mentibus nostris reuerà exhiberi quicquid externis hisce rebus sigmisq; uisibilibus significatur, aut porrenditur: adeoq; Christum ipsum esse uerum illum panem cœlo demissum alendis ac sustinendis animis in uitam æternam.

Ne igitur ingrati simus aduersus hanc summam atq; immensam Seruatoris nostri bonitatem, qua diuitiarum suarum thesauros in nos profundit. Etenim cum se nobis dat, palàm testatur, quicquid ipse possideat id uniuersum esse nostrum. Proinde sacramentum hoc tanquàm mnemosynon atque arrhabonem mortis passionumq; ipsius omnium excipiamus, ut earum dignitas nobis ad iustitiam imputetur, non secus ac si nos eadem passi essemus, aut patiendo potuissemus satisfacere. Ne porrò deinceps tam malè salutis nostræ consulti simus, ut tam amanter inuitantem suo uerbo Dominum fastidientes respuamus. Sed imo munificentiam ipsius ita amplectamur & magni faciamus, ut nos totos illi ex animo dedamus, quò se dignos protinus faciat.

Itaq; ſurſum cordibus & animis euehamur in cœlū, ubi agit, & regnat Ieſus Chriſtus in gloria Patris, unde etiã ipſum expectamus redemptorem ac liberatorem. Neq; uerò in externis Symbolorum rebus hæreamus, quas uidemus, & guſtamus: terrenæ ſiquidem ſunt & corruptioni obnoxiæ. Haud quaquàm igitur aut pani immiſtus uel inclуſus, aut uino immerſus eſt putandus, ut ibi quæratur: ſed tum demum illum aſſequemur, totamq; ipſius ſubſtantiam participandam in uitæ æternæ alimoniam, ubi ſupra terrena omnia euecti cœlos quoq; ipſos animis fide imbutis ſuperabimus, in regnum Dei penetrantes ubi ipſe iam habitat. Satis ſit igitur, hoc epulum ſymbolum eſſe & ſignum, eoq; ſic utamur: ueritatem ipſam ibi requiramus, ubi nos inuenturos certò per uerbum eius cognouimus.

Hic paſtor primum defrangit ſibi buccellã panis, & calicẽ ſumit, diaconoq; poſtea miniſtrat ſimiliter. Deinde populus ordine ad menſam magna cum reuerentia accedit, uiri primum, deinde mulieres, ac ſinguli primũ à Paſtore buccellã panis accipiunt, deinceps in altero menſæ cornu uinum à Diacono. Interea tem-

poris

poris à tota Ecclesia Psalmus aliquis gratiarum actionis decãtatur dum communio peragitur. Est porrò panis azymus integer ex quo singulis portiuncula defrangitur.

Pastor cum panem ministrat, his uerbis singulos alloquitur. 1.Cor.10.

Panis quem frangimus, communicatio est corporis Christi.

Diaconus autem uinum propinat his uerbis.

Calix cui benenedicimus, communicatio est sanguinis Christi.

Postquàm omnes communicárunt, ac singuli ad loca sua redière, tum diaconus calice reposito ad locum suum reuertitur, cum pastor in gratiarum actione populo his uerbis præit.

Agamus Deo gratias.

PAter cœlestis, Gratias immortales agimus tibi, laudantes istam tuam erga nos benignitatem, qua tanto beneficio dignatus es, quamuis peccatores, ut in partem Christi filij tui uocares ac pertraheres, quem pro nobis in mortem semel quidem dedisti, iam uerò subinde etiam das in alimoniam uitæ æternæ. Largire nunc nobis

ne unquam obliuiſci poßimus tantarum rerum, ſed imò eas ſic inſeras cordibus noſtris, ut indies adoleſcamus magis, augeaturq; in nobis robur fidei, quæ efficax ſit ad omne opus bonum, quò uitam noſtrã totam inſtituamus ad gloriam nominis tui, & ædificationem proximi, Per eundem Ieſum Chriſtum filium tuum, qui in unitate ſancti ſpiritus tecũ uiuit & regnat in æternũ, Amẽ.

Demum benedicendo, ut ſupra, populum dimittit.

Tota hæc Liturgia ſeſquihora abſoluitur, aut ſummum duabus horis, tametſi interdũ centum uidiſſes cõmunicantes.

LITVRGIA POMERIDIANA.

APrandio hora duodecima Catechiſmus puerorum habetur, quo Eccleſia frequens confluit. Cantato autẽ Pſalmo, pueri ſe ante Paſtorem ſiſtunt, ac rogantur de ſingulis articulis fidei, legis, & orationis dominicæ: ea nempè quæ præcedenti die dominico audierint. Tum pergit Paſtor in Catechiſmo alios articulos explicare, pueris familiarius, populo autem cautius

noſtus

noſius neruoſiusq;. Nec diutius hora eccleſiam detinet.

LITVRGIA VESPERTINA.

SVb ueſperum, hora quarta rurſum Eccleſia confluit & habetur concio. Eccleſiaſtes, quiſquis ſit à paſtore & eccleſia inſtitutus, poſt decantatum Pſalmum pergit in ſuo libro, quemcunq; ſumpſerit exponendum. Concludit oratione, quam pro ſuo arbitrio dicit, commendans Deo omnes ſtatus. Ac deniq; rurſum decantato Pſalmo populum fauſta precatus dimittit. Nec pluſquam horæ ſpatio concio detinetur. Vt tempus habeant ante cœnam Paſtor & ſeniores ad colloquendum & conſultandum de rebus Eccleſiæ.

LITVRGIA QVOTIDIANA.

PEr hebdomadam habetur etiam mane singulis diebus concio. Quæ accedente Pastore, uel concionatore quem Ecclesia constituerit, à Psalmo incipit, quo decantato, ille inuocato spiritu sancto textum sacrũ recitat, pergens, uti supra monuimus, in eodem libro, quem semel enarrandum sumpserit. Post horæ spatium concludit precatione aliqua breuiore, prout animus tulerit, deinceps populum benedicens dimittit ad operas.

LITVRGIA POENITENTIÆ.

Argentinæ est feria tertia quẽ Martis diem uocant.

Quoniam uerò assiduis fere calamitatibus Ecclesia Dei flagellatur ob scelera & peccata: æquiss. uidetur iuxta ac sanctissimũ certo quo dam die singulis hebdomadibus preces celebriores haberi, ad quas tota Ecclesia conueniat, ut ad pœnitentiam sese comparet.

Idem porrò seruatur ordo in his precibus, qui die dominico præscriptus est.

Nam

Nam ita peccatorum confessio fit, uti supra monuimus. Tantum pro decalogo Psalmus aliquis decantatur, quem pastor delegerit tempori maximè congruum.

Postea, aut perget in libro quem explicandum antea sumpserit, uel seniores certum aliquem locum scripturæ temporibus & hominum moribus accommodatiß. huic concioni præscribent. Concionē claudit hac precatione, postquam satis cœtum commonefecerit iræ ac iudicij Dei, ac peccatorum quibus nôrit ipsos obnoxios, ob quæ sic ira Dei in eos desæuiat.

ORATIO.

DEVS omnipotens Pater cœlestis, agnoscimus & fatemur, haud quaquàm dignos esse nos, qui in cœlum oculos tollamus, ut tibi pro tribunali sedenti sistamur, ac ne tantum quidem de nobis sperare audemus, quòd nostras preces exaudias, si nos nostraq; etiam dignissima intuearc. Nam conscientia ipsa nos accusat, & peccata quæ admisimus arguunt nos nostræ impuritatis. adhæc nouimus quòd sis ipse iudex iustus & uerax, qui impios peccatores haud unquàm approbas ut iustos pronuncies,

nuncies, uno seueriſsimè ſoleas in eiuſmodi preuaricatores legum tuarum animaduertere. Proinde Domine cum uitæ noſtræ curſum uniuerſum intuemur, pudet certè noſmetipſos noſtri, adeoq; nihil præter exitium deſperabundi expectamus, iam quaſi in mortis uortiginibus iactati. Attamen, ô Domine Deus, quandoquidem uiſum tibi eſt pro ſingulari tua clementia & miſericordia inexhauſta, iubere, ut te inuocemus, etiam ad inferos demerſi: atq; uti noſti quò magis peccamus hoc tua miſericordia magis opus eſſe, ita etiam uis ut ad tuã uniuſclemẽtiam, quæ ſumma eſt, confugiamus: nec hoc contentus iuſsiſſe, quò magis illicias nos ad te, promiſsis etiam blãdiſsimis egiſti, ne dubium ſit noſtra uota exauditum iri, non ullo quidem merito noſtro, ſed per nomen & meritum unius Ieſu Chriſti Domini noſtri, quem nobis dediſti mediatorem & patronum: præſidio itaq; humano penitus omni deſtituti, hac una fiducia tuæ bonitatis ſolius coram adſumus maieſtatem tuam ſuppliciter orantes per ſanctiſsimum nomen tuum, ut noſtri tandem te miſereat.

Primum, Domine, præter innumera quæ in nos contuliſti beneficia in commune cunctis cæteris

cæteris hominibus, singularem etiam fauorẽ erga nos multis in rebus declarasti, adeò quòd minimè ualeamus commemorare, ac ne cogitatione quidem dignè cõplecti quæ in nos contulisti.

Illud porrò magnum imprimis meritò uideri debet, quòd dignatus sis tuo Euangelio uindicare à diaboli seruitute, qua premebamur miseri: eximensq; abominandis idolorum cultibus & superstitionibus, quibus immersi irretitique eramus, adduxeris in plenissimam lucem ueritatis tuæ. At, quæ nostra est nimia ingratitudo, & incogitantia, quasi beneficiorum immensorum, quæ de tua manu accepimus obliti, declinauimus ad nostræ carnis desideria, fraudantes (quantum in nobis fuit) maiestatẽ tuam honore debito, uerbumq; tuum obedientia digna, sed nec tuum nomen, uti par erat, celebrauimus quàmuis nunq; desieris monere nos sedulò uerbo tuo per ministros tuos: quibus monitis neq; auscultauimus neq; paruimus. Peccauimus itaq; Domine, teq; offendimus, ac proinde pudore confundimur, ignominiã patimur, agnoscimusq; nos uerè apud tuũ tribunal reos esse, quibuscũ si pro nostra ipsorũ dignitate agere instituas, quid

præter

præter exilium, damnationem, ac mortem expectemus. Quanuis etenim excusare conemur, semper tamen conscientia damnat, nostraq; iniquitas coram te nos coarguit. Certè Domine iam satis uidemus, intelligimus & sentimus ex his flagellis, quibus nos castigasti, te iustiß. iram aduersum nos cõcepisse. Iustus etenim cum sis, & æquissimantißimus haud unquàm temerè aut immeritò afflizis tuos. Itaq; flagra iræ tuæ sentientes, te merito infensum nobis sentimus & agnoscimus. Quin manum tuam adhuc exporrectam cernimus, ut maiores pœnas de nobis sumas: quibus enim telis agere uindictam soles, eadem te nunc sumere in manum uidemus: nec illa omnia quæ grauißimè comminatus es peccatoribus impiis, nisi maturè resipiscamus, procul absunt, sed imo in exilium nostrum paratißima. Quanuis autem grauißimè in nos desæuires, ac longè grauiores, ac centuplò etiam maiores pœnas, quàm consueuisti imponeres: attamen iustißimè id facturum agnoscimus: meruimus etiam maledictiones illas, quibus olim in Israëlem populum tuum iratus desæuiisti.

Enimuerò Domine, tu pater es, nos ter-

ra & lutum: tu creator, nos opus manuum tuarũ: tu pastor noster, nos grex tuus: tu liberator, nos populus libertiq; tui: tu Deus, nos tuum peculium. Ne igitur sic excandescas, ut in furoris æstu nos castiges. Sed imò iniquitatum nostrarũ obliuiscere, ut punire etiã uelle desinas, contentus summa cum clementia castigasse & emendasse. Nostris peccatis iram tuam in nos accendismus. At meminisse oportet tamen, nomine tuo nos omnes censeri: atq; adeò tesseram tuam ac symbola gestamus tua.

Quin tueris potius, absoluis, & auges opus gratiæ tuæ ceptum in nobis: quò agnoscat orbis totus uerè te Deum ac liberatorem nostrum. Scis mortuos nequaquàm laudes tuas dicturos apud inferos: nec quos perdideris funditusq; deleueris: at facient animi tristes, mœsti, ac deiecti, cordaq; conuulsa, & mali sui sensu perculsæ conscientiæ, iam inde pauidæ expectantes tuæ clementiæ fauorem: hi te laudabunt, hi celebrabunt, hi gratias agent.

Israël populus tuus persæpe suis flagitiis tuam iram prouocauit, atque eum ideò iustè afflixisti: attamen quoties ad te reuersus est, toties illum summa clementia excepisti

pisti. Et quãuis grauissima essent peccata: propter fœdus tamen tuũ, quod cum Abrahamo, Isaaco, Iacobóq; pactus eras ab illo uirgas amouisti tuas, malaq; externa quæ præstò erant auertisti: imò nec uota eorum nec preces unquàm frustratus es. Nos porrò lõgè prestãtiore fœdere dignatus es: quo sanè niti apud tuum tribunal uolumus: nempè quod nobiscum pepigisti per manum Iesu Christi filij tui seruatoris nostri, atque ipsius sanguine describi, morteq; obsignari, ratum & firmum esse iussisti. Proinde Domine fiduciam omnem dignitatis nostræ, ac spem humani præsidij, quodcunq; quis sperare audeat, ponimus, ad hoc unicum fœdus confugientes, quo Dominus noster IESVS Christus corpore suo tibi sacrificiũ faciens, nos reconciliauit. Respice igitur Domine in faciem Christi tui, non in nosipsos: quò ipsius intercessu sedata ira faciem tuam salutarem & placidam reducas, nosq; recipias in posterum regendos ac gubernandos tuo spiritu: quo renati in uitam meliorem nomen tuum sanctificemus.

His subiicitur tota paraphrasis orationis Dominicæ, quæ supra habetur in oratione diei dominici signata, N. uti uisum

uisum fuerit Pastori. Denique hæc addit.

TAmetsi igitur indigni sumus, qui uel ore hiscamus apud tuum tribunal, quò tuam opem in rebus durißimis imploremus: attamen quia sic uisum est tuæ maiestati, ut pro nobis inuicem oremus, te obsecramus supplices pro fratribus nostris, eiusdem corporis membris, quos nunc uirgis tuis castigas, iram tuam ab illis auerte. Nominatim autem oramus pro, N.N.

Memento, Domine, quòd ij tui sunt quos que filij quemadmodum nos, quorum offensis ne sic irascaris, ut solitum fauorem, beneuolentiam, ac misericordiam exuas: nunquam enim facturum promisisti omnibus te fidentibus.

Respice etiam cunctas Ecclesias tuas propitius, ac populos omnes, quos uariis urges calamitatibus, peste, bello, fame & id genus aliis uirgis: ne sinas Christianum populum interire, tuiq; nominis gloriam & memoriam aboleri in terris. Ne permittas, ut in quibus nomen tuum inuocatum est ij malè pereant, ac eorum interitu exultantes turcæ, barbari, infideles & papistæ sacratißimum nomen tuum blasphement.

Reliqua

pisti. Et quãuis grauissima essent peccata: propter fœdus tamen tuũ, quod cum Abrahamo, Isaaco, Iacobóq; pactus eras ab illo uirgas amouisti tuas, malaq; externa quæ præstò erant auertisti: imò nec uota eorum nec preces unquàm frustratus es. Nos porrò lõgè prestãtiore fœdere dignatus es: quo sanè niti apud tuum tribunal uolumus: nempè quod nobiscum pepigisti per manum Iesu Christi filij tui seruatoris nostri, atque ipsius sanguine describi, morteq; obsignari, ratum & firmum esse iussisti. Proinde Domine fiduciam omnem dignitatis nostræ, ac spem humani præsidij, quodcunq; quis sperare audeat, ponimus, ad hoc unicum fœdus confugientes, quo Dominus noster IESVS Christus corpore suo tibi sacrificiũ faciens, nos reconciliauit. Respice igitur Domine in faciem Christi tui, non in nosipsos: quò ipsius intercessu sedata ira faciem tuam salutarem & placidam reducas, nosq; recipias in posterum regendos ac gubernandos tuo spiritu: quo renati in uitam meliorem nomen tuum sanctificemus.

His subiicitur tota paraphrasis orationis Dominicæ, quæ supra habetur in oratione diei dominici signata, N. uti uisum

uisum fuerit Pastori. Denique hæc addit.

TAmetsi igitur indigni sumus, qui uel ore hiscamus apud tuum tribunal, quò tuam opem in rebus durißimis imploremus: attamen quia sic uisum est tuæ maiestati, ut pro nobis inuicem oremus, te obsecramus supplices pro fratribus nostris, eiusdem corporis membris, quos nunc uirgis tuis castigas, iram tuam ab illis auerte. Nominatim autem oramus pro, N.N.

Memento, Domine, quòd ij tui sunt quos que filij quemadmodum nos, quorum offensis ne sic irascaris, ut solitum fauorem, beneuolentiam, ac misericordiam exuas: nunquam enim facturum promisisti omnibus te fidentibus.

Respice etiam cunctas Ecclesias tuas propitius, ac populos omnes, quos uariis urges calamitatibus, peste, bello, fame & id genus aliis uirgis: ne sinas Christianum populum interire, tuiq; nominis gloriam & memoriam aboleri in terris. Ne permittas, ut in quibus nomen tuum inuocatum est ij malè pereant, ac eorum interitu exultantes turcæ, barbari, infideles & papistæ sacratißimum nomen tuum blasphement.

Reliqua

R. Reliqua inuenies supra signata R.

Qua oratione finita & decantato Psalmo, populo benedicitur ut supra, & dimittitur.

Hæ sunt precationum in Liturgiis certæ formulæ, quas tamen sequitur minister suo arbitrio, ut tempus fert, & res postulat. Neque enim ulla præscriptione formularum alligandus est spiritus Dei ad eum uerborum numerum, cui non liceat subiicere uel supponere, si meliora suggerat. Sanè Paulus iubet in Ecclesia tacere priorem, sicui ex sedētibus reuelatum sit. Hæ formulæ seruiunt tantū rudioribus: Nullius libertati præscribitur. Tantū ne ab ea ratione discedatur, quam nobis Iesus Christus præscripsit. Spiritus enim sanctus, qui alioqui tacentibus nobis, atq; adeò ignorantibus quid orare nos oporteat, non definit patrem interpellare gemitibus inenarrabilibus, cumq; is apud tribunalia submistret, quæ dicenda sint, non deerit nobis cum uera fide coram Deo nos sistemus sensu orationis excitati.

1. Cor. 14

Mat. 6.

Roma. 8.

Matt. 10.

LITVR-

LITVRGIA
BAPTISMI.

IN Baptismo id cauetur imprimis, ne alibi quàm in Ecclesia ministretur, dum ipsa conuenit ad audiendum uerbũ Dei. Omnia enim (inquit Apostolus) uerbo Dei sanctificantur. Quanto igitur magis sacramẽta administrare oportet cum uerbo, quo sine nihil sunt. Siquidem ipse Christus ita etiam iubet, cœnam fieri in sui memoriam, id quod Apostolus prædicare mortem ipsius interpretatur: quando autem baptisma instituit, diserte præcipit prædicare Euangelium, ac proinde non alibi quàm in Ecclesia & post concionẽ uerbi Dei habitã.* Quid enim aliud est quàm autoramentum quoddam, quo infans ab Ecclesia Christi membrũ agnoscitur, simulq; ipse & signaculum accepit iustitiæ fidei ac renouationis per Christum, & toti Ecclesiæ commendatur.

Adsunt igitur in concione pater & fidei iussores, quos patrinos uocant, si eorum fides Ecclesiæ testata est, aut parati sunt eam testatam facere. Nam si hoc nomine potiß. putamus infantes baptizandos, quòd fœdus Dei cum parentibus ad ipsos etiam pertineat,

1. Tim. 4.

* Baptisare oportet, nisi forte accidat occasio talis cuiusmodi legimus, Act. 8.

neat, quis dubitat parentum saltē alterum, ac fideiussores (qui ibi totius Ecclesiæ nomine astant) debere agnosci membra Christi ab uniuersa Ecclesia? Nam imbi fideiubetur ac spondetur pro infante in eam fidē ac doctrinam religionis, quam Ecclesia tenet & profitetur. Tam sancta igitur res cū sit baptismus, ne cui mirum uideatur si sancte ministretur in Ecclesia.

Finita concione Pastor uel quisquis tum fuerit concionatus, Ecclesiam admonet de infantulo baptizando, ut cuncti maneant. Tum sic incipit:

Nō. quod si plures sint pueri, simul omnes sistuntur, tumq; hic & in sequentibus ubiq; mutandus numerus.

ADiutorium nostrum in nomine Domini, Amen.

Hunccine puerum attulistis uos baptizandum? Respon. Ita.

Hic minister subiicit breuem monitionem de Baptismo. Cuius hæc est formula, nisi quid ille sua sponte posit melius.

Ioā. 3.

DOminus noster abundè testatum nobis fecit quàm inopes & miseri nascamur omnes, cum docet, quòd renasci oporteat. Etenim magnū argumentum est inde à prima origine prorsus uitiatos & corruptos esse ac maledicto obnoxios, si non antè regno Dei potiri liceat, quàm renati

renati ac renouati simus. Cum igitur huius humiliationis nos admonet, ut toti nobis displiceamus ipsi, certè inuitat, imò excitat etiam ad misericordiam ipsius totis uotis exposcendam, qua uitiositas illa nostræ originis, ac maledictum penitus tollatur. Neq; enim prius hac frui datur, quàm omnem illam fiduciam nostri deposuerimus, dico opinionem omnis uirtutis, iustitiæ, aut sapientiæ cuiusquam: quò nosipsos, nostraq; omnia damnata esse cognoscamus.

Porrò autem non solum huius nostræ miseriæ nos admonet, sed simul consolatur sua misericordia, renascentiam hanc per spiritum suum promittens, quo spiritu accepto in uitam æteruam transferamur, atq; huius translationis institutum à Christo obsignaculum in Ecclesia accipimus.

Porrò hoc renasci duobus potißmè constat. Primum ut nosipsos abnegemus, hoc est, ne amplius nostræ rationi innitamur, ut illius placitis obtemperemus, & desideria uoluntatis nostræ sectemur: sed ea omnia subiiciamus sapientiæ ac iustitiæ Dei, in quo uersatur mortificatio nostri, ac nostræ carnis, eorumq; omnium, quæ in nobis sunt, neglectio.

Alterum est, ut lumen Dei sequamur, eiq; uni placeamus & obediamus, sicuti nos suo uerbo docet, eodemq; suo spiritu agit. Quæ ambo non nisi in uno Christo nobis præstò sunt, & perficiuntur absolutissimè: cuius uidelicet morti ea uis inest, ut si huius efficiamur participes, statim fit ut peccato quasi moriamur ac sepeliamur, mortificata carne cum omnibus suis placitis. Deinde uerò ui resurrectionis ipsius nos in uitã aliam excitamur, qua soli Deo uiuamus, cum spiritu eius excitati, ab eodem spiritu ducemur ac gubernabimur in omnibus: quo nostra omnia gratissima & acceptissima illi futura sunt omnia.

Attamen id summum in procuranda & efficienda salute nostra est, ut is pro sua misericordia nobis omnia peccata condonet, ne amplius imputentur: adeoq; penitus obliteretur eorum memoria, ut nullo prorsus loco sint apud eius iudicium. Quæ tamen nobis obsignantur atq; exhibentur, cum per baptisma, ueluti autoramento quodam in ecclesiæ suæ corpus recipimur: cum nil aliud uelit Deus hoc Sacramento, quàm omniũ peccatorum remissionem nobis quàm testatissi. & firmissimam facere. Proindeq; in Symbolum

bolum huiusce rei aquam usurpauit, quò significationem satis manifestam daret, non secus animos nostros sanguine Christi ablui, purgariq; ab omni uitiositate, quàm sordes corporis aqua eluuntur. Insuper ibi etiam quasi instrumento quodã operatur & perficit plenam nostri innouationem: quæ (uti iam diximus) eo constat, ut carne nostra mortificata peccato, in uitam nouam, eamq; spiritualem excitemur ab eius spiritu.

Itaq; duplex inibi beneficium consequimur & gratiam geminam à Deo nostro: tantum ne Sacramenti huius uim eneruemus ulla perfida aut difidenti ingratitudine. Certum enim hic accipimus à Deo testimonium, quò duelit ipse nobis esse pater, nolitque ulla peccata aut offensas ullas amplius imputari. Nec id solum, uerum etiam suo spiritu ferre suppetias, quò possimus fortiter aduersus diabolum, peccatum, & affectus nostræ carnis depugnare, ac tandem uictores euadere in libertatem regni sui, quod est iustitiæ regnum.

Cum hæc ita habeant, sintq; ista omnia nobis præstita, perfecta & absoluta per gratiam Iesu Christi, consequitur, in ipso uno uim & substantiam omnem baptismi contineri.

neri. Neq; enim lauachrum ullum datum est præter ipsius sanguinem: nec aliud innouãdæ uitæ medium, quàm per mortem & resurrectionem eiusdem. Enimuerò uti dona omnia gratiæ & misericordiæ suæ per uerbum suum nobis defert, perficit autem in animis nostris interno spiritus sui motu omnia: ita non minus idem præstat per Sacramenta & spiritum sanctum.

Porro optimo Deo nostro non satis fuit nos sibi adoptasse in filios, ac in suam Ecclesiam recepisse: uerum ulterius etiam benuolentiam suam extulit. Nempè ubi pollicetur, non tantum se Deum fore nostrum, sed nostræ sobolis etiam in mille generationes. Quamuis igitur fidelium liberi sint corrupta & uitiata Adami propagine: nihilominus tamen fœdus hoc ratum sic habet in milleſimum usq; nepotem, ut totam hanc seriem nepotũ pro filiis suis agnoscat. Atq; ea de causa principio nascẽtis Ecclesiæ suæ iußit non adultos solum, sed ipsos etiam infantulos circunciſionis tesseram accipere: quo certè nil aliud testabatur aut portendebat, quàm quod hodie per baptiſma. Atq; illud iubere circuncidi, ac circuncidere infantes testificatio fuit & notiſſima tessera

Gene. 17.

adoptio-

adoptionis filiorũ, atq; ipsius Dei quædam quasi obligatio erga nos, se nobis Deũ fore, ut parentibus nostris, spiritu interim suo omnia reuerà peragente in animis & mentibus, quæ externa actione continebantur.

Postea uerò quàm Dominus IESVS ad nos in terras descendit, num imminutus est fauor Dei patris erga nos? an non potius fœdus illud salutis adimpleuit, ac toti mundo commune fecit, quod antea Iudæos solos contingebat? Et dubitamus iam filios nostros eodem esse loco, quo Iudæorum liberi erãt, atq; hæredes esse uitæ promissæ? Certè Paulus disertè asserit sanctificatos iam inde à matris utero: quos uno etiam hoc argumento maximè discreuit à filiis infidelium. Idem testatur Iesus de paruulis, quos amplexatus est. Ita enim narrat Mattheus. 1. Cor. 7. Matt. 19.

Euang. quo infantum baptisma cõfirmatur. Matth. 19.

TVm (inquit) oblati illi fuerunt pueli, ut ipsis imponeret manus, & fausta precaretur ac beneditceret. Verum discipuli eius obiurgabant eos. Quibus Iesus: Sinite (inquit) puellos uenire ad me, nec prohibeatis eos, nam ad eiusmodi pertinet cœlorum regnum.

Hæc ſunt Chriſti uerba, quibus ad puellos regnum cœlorum pertinere aſſerit, atq; eo nomine cõmendandos Deo patri cenſet, imò etiam manuũ impoſitione ſibi illos uendicat. Quo ſanè docemur, nequaquam puellos fidelium ab Eccleſia excludendos. Huic proinde doctrinæ aſſentiẽtes, puellum hunc in Eccleſiam eius cooptabimus, uti participem eorum omnium, quæ ipſe ſuis promiſit. Itaq; pro hoc puello Deum orate mecum.

Domine Deus pater æterne & omnipotens, Quandoquidem nobis pro tua immenſa clementia promiſiſti, & teſtatus es, te Deum noſtrum forè ac liberorum noſtrorum: Roganus pro hoc puello, eum hac tua beneuolentia & fauore digneris, ut cum ipſo fœdus etiam tuũ firmes, qui parentibus natus eſt, quos tu quoq; dignatus es Eccleſiæ tuæ conſortio. Dignare puellum hunc in tuam clientelam recipere, ut ſis illi Deus ac ſaluator, condonato peccato originis, cui omnes qui ex Adamo naſcuntur obnoxij ſunt: ſanctifica eum tuo ſpiritu, ut cum adoleuerit te Deum ſuum agnoſcat & adoret, gloriamq; det nomini tuo per omnem uitam: & quotieſcunq; te rogauerit peccatorum ſuorum remiſſionem gratuitam impetret. Sit

itaq;

ĩtaq; inſitus Domino noſtro Ieſu Chriſto, ut tanquam corporis ipſius membrũ hauriat inde abunde de bonis eius omnibus. Exaudi nos ô Pater miſericors, ut quemadmodum iuxta mandatum tuum, iſte à nobis hoc baptiſmi ſymbolo abluitur, & adoptatur, ſic operante intus ſpiritu tuo fructum capiat omnium bonorum, quæ hoc Sacramento obſignari in nobis didiſcimus ex Euangelio Domini noſtri Ieſu Chriſti, cuius uniuſ fiducia te inuocamus ſupplices, ſicuti ille nobis orandi formulam præſcripſit, Pater noſter, qui, &c.

Tunc miniſter parentes & fideiuſſores rogat.

Vultis ne hunc puellum baptizari in nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti?

Reſpondetur illi.

Sanè ita cupimus.

Tum miniſter.

Siquidem admittendus hic puer in Eccleſiæ ſodalitiũ, Vos fidem datis ac promittitis totius Eccleſiæ nomine, cum ætas poſtulabit daturos operam ut plenè inſtituatur in fide ac tota doctina ſalutis populi Dei: Cuius ſumma eſt Symbolum Apoſtolorum, Credo in Deum patrem, &c.

Cuius quidem Symboli hæc est breuis complexio atq; interpretatio.

Quam interpretationem minister aut recitat, aut aliis uerbis enarrat, aut omninò omittit, si tempus moram longiorẽ non ferat.

HOC quidem Symbolo testamur imprimis, nos Deum unum agnoscere, atq; adorare, eiq; porrò laudem & gloriam omnem, atq; adeo summam attribuere, hũc unum inuocandum, & autorem bonorum omnium agnoscendũ cum gratiarum actione. Et quamuis unus tantum Deus est: nos tamen trinum profitemur. Nempè in unius Dei essentia tres personas distinctas esse: patrem, filium, & spiritum sanctum.

Deinde pari fide totam historiam, ac doctrinam etiam Euangelij ueram esse profitemur, uti conscripta est à Matthæo, Marco, Luca, Ioanne, Paulo, Petro, Iacobo, Iuda, de concepto, nato, mortuo, atq; à mortuis suscitato Christo, & in cœlos assumpto: unde is quoq; expectandus omnium iudex, uiuorum perinde ut mortuorum. Quoniam uerò tanta passum frustra minimè decet putare: certè par est nos, ad quos omnis eius passionum fructus redit, summam teneare

here eorum, quibus salus nostra continetur, quorum etiam in Symbolo Apostolorũ pactis fit comprehensio.

Tertiò nihil horũ omnium cõtingit, aut in nobis fit & absoluitur, nisi ui & beneficio spiritus sancti, per quem unum participes efficimur Iesu Christi, ac bonorum eius omnium. Proinde additur de spiritu sancto, & de Ecclesia sancta Catholica. Etenim Deus nos regignit suo spiritu, atq; in suam Ecclesiam cooptat per uerbi sui & Sacramentorum suorum ministerium.

Deniq; quandoquidem in hac uita nunq̃ ita prorsus abolebitur peccatum, quin semper opus sit misericordia, qua recõciliemur Deo per Christum. ideò est additum de peccatorum remissione in Ecclesia, quam nunquam Deus negaturus est cum fide petentibus, quos etiam ope sua & auxilio omni adiuuabit in eum usq; diem, quo ad summam beatitudinem excitatis corporibus nos integrè in uitam æternam recipiemur, Amen.

Deinde post aliq̃ respirationẽ hæc infert. Vos ne igitur promittitis daturos operam, ut puer hic summo studio in his omnibus instituatur, quæ tota scriptura ueteris & noui Testamenti continentur, ut ea credat,

his

bis nitatur, certus esse uerbum Dei quod cœlo demissum est?

Adhortabimini insuper ut uitam instituat ex præscripto legis Dei: quæ his duobus potissimum capitibus continetur. Primum, Vt amemus Deum ex tota mente, toto corde, & cunctis uiribus nostris. Alterum, Vt diliganus proximos nostros ut nosipsos. Ita illum docebitis, adhortabimini, monebitis, & castigabitis, uti est Christianorum omnium monere mutuum. Id ne pollicemini?

Respondetur. Sanc.

Hic si plures sint baptizandi singulos ordine nominat & baptizat.

Hac sponsione facta, puero nomen imponitur, uel à patre, uel à fideiussoribus.

Tum minister, coram quo super mensam apposita est aqua pura puta in pelui, puellũ in manus acceptum baptizat, aquã manu capiti iniiciens his uerbis.

N. Ego baptizo te in nomine Patris & Filij & Spiritus sancti.

Deniq; sic puero fausta precatur atq; Ecclesiam dimittit.

Rursum mutatur numerus si plures sint.

Dominus Deus noster huic puello, quem ad imaginem suam creauit & fecit, det ut uerum membrum Christi sit, edatq; fructus dignos adoptione filiorum Dei.

Abite in pace.

LITVR-

LITVRGIA BENE-
DICTIONIS CONIVGII.

SAnctißimo ac honestißimo more à Christianis receptum est, & hucusq; seruatum, ne coniugia, nisi publicè & solenni quodam ritu ineant homines, ut sua dignitas suusq; honor coniugio maneat, nec fraus ulla dolúsue intercedat, sed bona fide omnia inter coniuges fiant: deinde etiam ut tota Ecclesia nouos coniuges Deo precibus suis commendet. Proinde si quos Deus ad hoc uitæ genus uocárit, postquã inter ipsos aut parentes eorum ita constitutum & ratum fuerit, datáq; fide firmatum, pastor certior factus, tribus Dominicis diebus de eo commonefacit Ecclesiam, ut orent omnes pro desponsis, & si quis aliquid intelligat, quò minus iungi possint, in tempore admoneat. Deniq; diem ipsum populo denunciat, quo cœptum coniugium solenni ritu absoluatur coram tota Ecclesia. Adsuntq; omnes frequentes, cum ut orent pro desponsis, tum ut audiant & discant semper uerum usum coniugij, & officium coniugum. Cauetur id imprimis etiam ne quicquam præter decorũ fiat, aut modestiæ Christianæ negligatur.

(Si sint adhuc in patria potestate.)

Absq;

Absq; igitur cytharis tibiis & tympanis, & cum modicò & honesto apparatu, qui Christianos deceat accedunt ad audiendum Dei uerbum, quo sine nil sanctum, per quod sanctificantur omnia nostra instituta & opera.

Ingredientibus igitur sponsis, ab Ecclesia decantatur Psalmus. 128.

Tum sic Pastor incipit.

Adiutorium nostrum in nomine Domini, qui fecit cœlum & terram, Amen.

Deinde periochen ex scriptura prælegit tempori & rei conuenientem. Ac deinde concionatur de tota institutione cõiugij, uti habetur Gene. 2. Matth. 19. 1. Cor. 7. Colloss. 3. 1. Timoth. 2. Tit. 2. Pet. 3. Ex quibus & aliis locis ipse profert quidquid ad monendum, hortandum, cõsolandum, & docendum pertinet. His peractis, & precibus dictis pro more, immediatè de suggestu astantes coniuges sic alloquitur.

Adiutorium nostrũ in nomine Domini, &c.

Gen. 1. DEVS Pater noster postquam creasset cœlum, terram, & quidquid ipsis continetur, hominem creauit ad imaginem & similitudinem suam, qui dominaretur bestiis terræ, piscibus maris, & uolu-

volucribus cœli. Verum creato homine dixit: Haud quaquam bonum, hominem esse solum: faciamus illi adiutorium simile ipsi. Tumq; iubente Deo sopor Adamū inuasit, cui dormienti costam unam abstulit, è qua Euam formauit: hoc nimirum designans, uirum & uxorem unam esse carnem, & sanguinem eundem. Quapropter homo relictis patre & matre sese uxori adiunget, eamq; amabit uti Christus Ecclesiam, pro qua mortuus est. Mulier contra marito parebit, ac subiecta erit in omni sanctitate & honestate. Nam subpotestate uiri est quandiu uiuit ipse. Matt.19. Ephe.5. Colloss.3. 3P. et.2. Gene.3.

Coniugio porrò sanctißimo simul ac omni honore digniß. id ineſt, ne maritus sui corporis ius habeat, sed uxor: nec uicißim uxor sui, sed maritus. Proinde quos Deus coniunxit nunquam diuelli possunt, nisi fornicationis causa, aut ad tempus mutuo consensu, ut ieiunēt & orent, cauētes ne per incontinentiā suam à Sathana tententur. Idcò iubentur mox reuerti ad conuictum & cōsuetudinem solitam. Nam fornicationis uitandæ gratia debet unusquisque suam habere uxorem, & unaquæque utrum suum: adeò, ut qui non continent, iubeantur iungi 1.Cor.7. Matt.19.

1.Cor.7. gi matrimonio, ne templum Dei sanctum,
3.6. quod est corpus nostrum, uioletur aut com-
maculetur.

Quandoquidem igitur corpora nostra sunt Christi membra, nimium hoc scelus atrox foret, si meretricis membra fierent. Oportet igitur illa sanctè asseruari & coli. Si quisquam enim templum Dei uiolauerit, perdet illum Deus.

2. Cor. 3.

Si plures erunt, omnes ordine appellabit.

Vósne N. & N intelligitis hanc esse Dei uoluntatem, atq; ita uiuere instituistis in hoc uitæ genere, quod scimus tam cumulatè Deum exornasses. Id ne apud uos ita decreuistis, ac coram tota Ecclesia testamini, petentes etiam ea comprobáte uestras uoluntates iã ratas haberi?

Respondetur: Ita.

Rursum pastor.

Vos omnes quotquot adestis testes huius facio, ac memores esse iubeo. Tamen si quisquam est, cui notæ sint causæ cur minus isti iungi possent, rogamus, palàm enunciet.

Nemine quidquam allegante, Pastor ait. Cum nihil obstet, nemo etiam quidquam cõtradicat, confirmet uestrum hoc institutum ac sanctißimo nexu uos iungat Deus qui fecit cœlum & terram, Amen.

Tu

Tum singulos alloquitur, ac sponsum prius.

Tu N. fateris hic coram Deo & sancta eius Ecclesia, quòd accepisti ac iam etiamnum accipias in uxorem N. quam hic præsentem aspicis, cui cum fide coniugij polliceris omnimodam cum summa sedulitate tutelam, uti maritum decet pro uxore esse sollicitum, ut cum ea uiuas sanctè iuxta uerbum Dei & Euangelium ipsius? Respond. *Ita.*

Deinde sponsam huius sic alloquitur. Tu quoq; N. fateris coram Deo & Ecclesia eius sancta quòd accepisti, & nunc etiam accipias in uirum & maritum legitimum N. quem hic coram aspicis. Cui præter coniugij fidem polliceris omnẽ obedientiam, officium atq; obsequium omne cum uitæ castimonia, uti decet sanctam & piam fœminam iuxta uerbum Dei & ipsius Euangelium?

Respondetur, *Ita.*

Deinde ordine omnes simili modo rogantur, si fortè plures adsint sponsi & sponsæ.

Rogatione hac facta Pastor ita benè precatur.

PAter omnis misericordiæ, qui ad hoc uitæ institutum uos uocauit, idem

uobis benedicat, & ſuum ſpiritum largiatur in nomine filij ſui Ieſu Chriſti, qui etiã præſentia ſua, ac primo miraculo, quod in uita coram diſcipulis fecit, ſanctiſſimũ hunc ordinem ornare uoluit, det etiam ut illum glorificetis per omnem uitam, Amen.

Audite Euangeliũ, quò diſcatis quanta fide uelit Deus coniugium coli, quanq; firmum ſit ac inſolubile. Ita enim habetur Matth. 19.

PHariſæi acceſſerunt ad eum, ut tentarẽt, rogantes: Num licet uiro quamcunq; ob cauſam repudiare uxorem? Quibus reſpondens, dixit: Num legiſtis, quòd qui hominem ab initio creauit, fecit eum marem & fœminam, & dixit: Ideo relinquet homo patrem & matrem, ut adhæreat uxori ſuæ, & erunt duo in carnẽ unam, adeoq; non amplius duo, ſed una caro? Quos igitur Deus iunxit, homo ne ſeparet.

Deinde poſt reſpirationem aliquam.

CRedite his uerbis Domini noſtri Ieſu Chriſti. Nec dubitate uos ab ipſo iunctos. Viuite igitur ſanctè & caſtè, cum ſumma dilectione, pace, & concordia, colẽtes imprimis ueram ac ſyncerã charitatem & fidem coniugalem iuxta uerbũ Dei.

Hic

Hic tota Ecclesia procumbit in genua: Tum pastor sic inquit.

Oremus unanimes Deum.

DEVS *omnipotens, optime, maxime & sapientißime, qui ab initio præsciuisti non expedire homini esse soli, ac proinde adiutricem illi adiunxisti cum mandato, ut duo essent in carnem unã, Rogamus te & humiliter deprecamur, quãdo ita uisum est tibi, uocare istos ad hunc sanctißimum uitæ ordinem, digneris pro tua clementia & bonitate spiritum tuum sanctum illis conferre, ut in uera & solida fide ita sanctè uiuant, uti gratum & acceptum tibi est, superatis omnibus affectibus, ad ædificationem reliquorum electorũ cum omni honestate & uitæ castimonia. Benedic illis, sicut fidelibus tuis seruis Abrahamo, Isaaco, & Iacobo, ut sancta prole aucti tibi seruiant, ac laudem omnem attribuant, prolem deniq; susceptam ita educent & instituant, ut inde etiam lauderis tu, ac ædificetur Ecclesia tua. Exaudi nos Pater misericors per Dominum nostrum Iesum Christum dilectum filium tuum, Amen.*

Dominus in uos abundè gratiarum suarum dona omnia conferat, detq; una diu fœ-

liciter & sanctè uiuere.

His dictis canitur ab Ecclesia Psalm. 113. quo decantato dimittit Pastor Ecclesiam cum fausta precatione.

DE VISITATIONE ÆGROTORVM.

VEri Pastoris & fidelis ministri officium est, non solum publicè populum, cui præest, instituere, sed totis uiribus urgere singulos, monendo, cohortando, castigando, & consolando.

Nunquam porrò magis necessaria est homini Christiano doctrina tota & disciplina Domini nostri IESV, quàm cum uisitat eum Dominus, & castigat morbo aliquo uel quouis alio malo, Maximè autem omnium imminente morte. Tũ enim magis quàm unquam antea suos aculeos conscientia exerit stimulante iudicio Dei, coram quo iam sisti se uidet infirmus. tum Sathan impressionem urget ualidis arietibus, quò miserum (si possit) de gradu aliquo pietatis, fidei, & constãtiæ deiectum prosternat, pessundet, atq; ad inferos proruat.

Episcopi igitur, seu ministrorum omnium

omnium officium est ægrotos inuisere, & solari uerbo Dei. Nempè ut intelligãt, quæcunq; acciderunt à Deo esse, qui pro sua prouidentia clementi nihil suis imponit, nisi salutare & bonũ. Huc adducuntur ex scripturis quæcunq; tẽpus & persona postulant.

Quòd si cum periculo etiam ægrotare conspexerit, tum consolando longius progredietur, orationem semper ad ægri mores, fidem, & pietatem accommodans, utut affectum uiderit. Etenim si sentiat mortem horrori esse, huc cuniculos diriget, ut hanc hostis impreßionem auertat: infirmumq; docebit, in morte nihil triste aut deplorandum cõtingere fidelibus, quibus est Christus uiæ ductor, ac certißimus adiutor & defensor, quo ductore non aliud quidquam sit mors, quàm transitus ad uitam eandem, quam ipse est ingressus. Huiusmodi consolationum argumẽtis horrorẽ illũ discutiet. & ubi senserit cõscientias ob iudiciũ Dei territas, statim huc admouebit omnia auxilia ad fulciendum animum aduersus tantum impetum. Sin paruo, aut leui sensu peccatorum affici senserit, non dißimulabit iudicium Dei, in quo nunquam posit subsistere, nisi per misericordiã Dei, cuius tamen haud quaquam esse particeps

ceps queat, nisi pœnitentia seria excitatus, fide solida Iesum Christum toto pectore atq; ambabus ulnis amplexatus, hunc unũ saluatorem & liberatorem agnoscat. Contra si uiderit sensu peccatorum angi, iam ostendat, ac ob oculos ponat Iesum Christum, in quo peccatoribus omnibus quantumcunq; miseris (modò de se desperent, non autem de Christo) certissimum est præsidium, & salus præsentissima. Bonus itaque Pastor rationem inibit, quæ optima maximéque idonea uidebitur consolando ægro, utcunq; tandem affectum uiderit. Neq; quicquam adferet, nisi uerbum Dei. Et si res suppetet, atq; infirmus erit pauper, ipse eleëmosynam aliquam dabit, aut aliundè curabit, quò succurratur etiam corporis necessitatibus. Nullo enim labori debet parcere, nullum officium detrectare, quò sit omnibus exemplo.

DE EVCHARISTIA MINISTRANDA ægrotis.

QVOD si ægrotus petat Eucharistiam. Ipso die quo ab Ecclesia celebratur Cœna, mittitur Diaconus cum piis aliquot, quũ cum ægroto communicent.

IN FVNERE.

FVnus effertur a certis hominibus extra urbem in cœmiterium. Sequuntur proximi ac tota Ecclesia magna cum modestia, præeunte Pastore, uel aliquo ministro. Vbi ad locum uentum est, condito humi cadauere, habetur breuis concio de morte ac resurrectione mortuorum, cum commendatione defuncti, si quas habuerit uirtutes, quarum exemplis posśit Ecclesia ædificari. Tum facta oratione pro Ecclesia, ut Deus det sic uitam hanc transigere, ut per mortem transeamus in regnũ ipsius, ac tandem in ultimo die per Christum omnes resurgamus ad beatam immortalitatem, dimittitur populus cum admonitione, ut eleëmosynam aliquam conferat in usus pauperum.

DE ORDINE MINISTRORVM, ET EORVM institutione, ac de disciplina Ecclesiastica.

De conuentu Ecclesiastico.

SCIENDVM imprimis quòd nunquam habetur conuentus aliquis Ecclesiasticus (habetur autem singulis septimanis) sine lectione alicuius loci ex scriptura, & oratione pro dono spiritus sancti. Deinde Pastor toti cœtui rem de qua conuenerint exponit: & cæteri deinceps, si quid habent, referunt. Deinde rogantur à Pastore, singulorum sententiæ. Ac datur opera, ut cuique fiat satis: nisi fortè cum populus conuenit, & quispiam uidetur agere præfractius, tum ubi opus est ueritati fert patrocinium autoritas aduersus peruicaciam.

DE ELECTIONE PASTORIS.

PRIMVM Episcopus seu Pastor totius Ecclesiæ suffragiis designatur. Conueniunt ipsi Presbyteri seu Seniores cum reliquis aut præcipuis pastoribus aliarum Ecclesiarum eius urbis, ac totã Ecclesiã quæ adest admonent de nouo Pastore eligendo,

eligendo, simul grauissimè commonefacium officij sui in hac electione, & duos aut plures proponũt, quos ipsi idoneos cẽsent. Nec tamen Ecclesiam cogunt ex his propositis unum nominare. Nemini etenim ius suffragij eripitur. Tantum uiderit ut idoneum ali quem nominet tantæ functioni. Atq; ea postissimum de causa proponunt aliquot ipsi Seniores, ne plebs fortè aberret affectuum impetu, aut ignorantia & iudicij inopia. Postquam suffragia collecta erunt, atque bis aut tertiò repetita, quo consensus sit maior: tum in quem plures consenserint, si cætera idoneus uidebitur, is à Senioribus & aliis pastoribus Pastor ei Ecclesia nominatur. Deinceps certo quodam die apud omnium pastorum urbis conuentum iste nominatus coram Senioribus Ecclesiæ examinatur, num iis dotibus præditus sit, quæ pastorem decent. Interea populo etiam ius est si quid dignum reprehensione cognõrit, opponere. Tandem die aliquo celebriori puta die Dominico, à Senioribus & Pastore aliquo reliquarum Ecclesiarum coram tota Ecclesia Pastor nominatur, consalutatur & manuum impositione omnium assensu instituitur & confirmatur. Atq; hæc summa ordinatio-

dinationis Episcopi, seu Pastoris illius Ecclesiæ.

DE ELECTIONE SENIORUM, seu presbyterorum.

PResbyteri sunt ex tota Ecclesia præstantissimi uiri, digni quos etiam priuatos omnes reuereantur, qui Pastori adiunguntur in administratione, ut causas omnes iudicent & præsint omnibus in rebus quæ ad Ecclesiasticam politiam pertinent. Arcubi sunt numero duodecim, si tot possint reperiri hoc loco & ordine digni totius Ecclesiæ iudicio. Cum igitur euenerit ut huic numero desint aliqui, tum Pastor cum reliquis presbyteris consilio habito dispiciunt numnam aliqui hoc loco digni sint in Ecclesia. Vbi ipsi consenserint, Pastor die Dominico pro concione Ecclesiam admonet, opus esse presbyterio sociis aliquot: & si duobus opus est aut pluribus, duplum numerũ proponit, eorũ quos ipsi idoneos iudicârint. Hic postquam admonuerint Ecclesiam quales nam esse presbyteros oporteat, iubet aliquot diebus, ut minimum 15, diligenter uidere & iudicare apud se unũquenq; quos ex toto cœtu dignos cẽseat suo suffragio. Ac post trinam eiusmodi admonitionem, aut minimum

secundam, proximo die Dominico iubentur adesse hora Catechismi.

Tum Pastor apud mensam aut suggestū cum reliquis Senioribus considens, paucis totam Ecclesiam admonet sui officij, ac eorum quos iam cooptaturi sunt in ord. Seniorum. Deinde singuli accedunt, ac sua suffragia dant, quæ à scribis excipiuntur sedulò. Quibus recensitis, in quos plura consenserint, ij presbyteri nominantur. Interea tamen datur illis ad deliberandum tempus, ac toti Ecclesiæ quoq;. Post octiduum iussi adesse nominati post concionem matutinam cingentibus pastorem reliquis presbyteris, rogantur, num hoc ministerium in se recipiant: quamuis non temerè quisquam sese potest excusare aut eximere, nisi magnis de causis, quoniam in fidei professione singuli se ita obstringunt Ecclesiæ. Deinde rogatur tota Ecclesia, num in hos consentiat. Vbi silentio assensum significant, Pastor cum suis manus imponunt, & hos in ordinem presbyterij cooptant, commendantes eos Deo, ut suo spiritu ampliore augeat, quò possint huic functioni satisfacere.

DE ELECTIONE Diaconorum.

Diacos

Diaconos habent quatuor, qui eleẽmosynis præsint, & pauperum ac infirmorum imprimis curam gerãt. Nec minore grauitate horũ electio fit, quàm seniorum. Tantum hoc interest, Quòd non proponuntur ulli à Pastore, sed quos uult plebs deligit, modò duos, aut saltẽ unum ex seniorum ordine nominet. Deinde hoc ministerium tantum est annuum, presbyterij uerò perpetuum. In suffragiis & confirmatione eadem seruantur, quæ ante commemorauimus de presbyteris. Bis tamen in anno rationes audiuntur à tota Ecclesia administratæ ab ipsis eleẽmosynæ.

Quintus est Diaconus qui in Sacramentorum ministerio occupatur. Hunc sibi Pastor deligit suo arbitratu. Tantum ius est Ecclesiæ, si quid habeat contra, allegare & reiicere. Choraules etiam à Pastore & Senioribus iubetur. Ipsi Seniores ex suo numero duos nominant, qui componendis litibus præsint: ne temerè suam concilium rebus leuioribus turbent, atq; à grauioribus rebus gerendis auocent. Ad Seniores tandẽ illi causas referunt, si tentatis omnibus nullam concordiam inire queant. In omni electione id seruatur: Ne quis suffragium ferat,

rat, nisi qui fidem antea sit professus. Nam reliqui nullo numero, nullo ordine cẽsentur.

DE DISCIPLINA ET excommunicatione.

PORRO quantum ad uitam corporis est necessarius spiritus & halitus, quo represso necesse est statim hominem extingui, ita est usus disciplinæ & fraternæ correctionis in Ecclesia: quam ipsi seriò exercent in omnes rebelles & præfactæ peruicaciæ uiros seu mulieres, qui admoniti resipiscere ac pœnitentiam uitæ prioris agere recusent. In publicis criminibus statim publica pœnitentia exigeretur, aut excommunicaretur pertinax. In occultis autem, principiò clàm & priuatim, deinde adhibitis testibus, ac tandem in concilio Seniorum admonetur. Post ubi nil profici uident, pastor scelus & hominẽ Ecclesiæ palàm facit, ut uel hac ratione pudefiat. Deniq; si post trinam eiusmodi monitionem pergit obstinatè agere, quarto die Dominico excommunicatur, & sacris omnibus illi interdicitur, nempè Sacramentis & precibus. His enim temporibus iubetur ab Ecclesia secedere. A concionibus nunquam arcetur. Imò nunquam

quam desunt qui priuatim agant & ad pœnitentiam hortẽtur. Cuius si signa certa dederit, tum conuocata Ecclesia, iubetur culpam criminis agnoscere, ac deinde consensu uniuersæ Ecclesiæ ad precũ & Sacramentorum communionem admittitur. Verum de hac disciplina nos plura propediem adiuuãte Christo. Itaq; hæc missa faciemus.

Id autem ad disciplinam pertinet, quòd nemo huic Ecclesiæ accensetur, nisi prius pub. fidem sit professus. Alioqui non admittitur quisquam ad ullius Sacramenti communionem. ac ne baptismus quidem ullis cõfertur, nisi parentum alter ita sit fidem professus: nec coniugio benedicitur, nisi prius fidem professis sint coniuges.

Atq; ea est tota ratio Liturgiæ & disciplinæ uniuersæ huius Ecclesiæ, quã Dominus Deus conseruet. Benedicat etiam & benefaxit amplissimè Senatui Argentinensi, qui tanta humanitate hactenus in medijs hisce procellis pios exules apud se sustinent, ac fouẽt, omniq; studio & fauore prosequuntur. Faxit Christus, ut quicunq; hæc legerint intelligant, atq; ex animo incũbant in pleniorem instaurationem Ecclesiæ Dei, atq; horum exemplo peregrinos & exules, ament, Ameu.

AD LE:

AD LECTOREM CANDIDVM PRO liturgia admonitio.

ANC PORRO Liturgiam nõ omnibus probari haud equidem ignoro, iisq; plurimis, quos scio, si aliquãdo uidißẽt, aut certè audiendo intellexißent, non iniquos iudices fore. Alij sunt qui odio Euangelij, ac legis Dei, hoc solo nomine quicquid est eorum, qui hodie Euangeliũ Christi profitentur, damnant & execrantur: tamet si apud suas conscientias probè intelligunt, non posse uituperari, aut solidis argumentis conuinci (uti clamant) hæreseôn. His nihil est quod respondeam. uerum iis qui ignorantia peccant (etsi non omnino excusandi sint, quinimo reprehendendi, quòd res nòn intellectas dãnent, alienis præiudiciis freti) tamen quia errore peccant, non malitia, respondendum aliquid putamus. Si multas ceremonias laudabiles clamant abolitas, quæ tamẽ uidebantur magna uiri autoritate uetustißim. patrum: si ordinem

dinem & decorum confundi: Si dignitatem ministerij prostitui, & contemni dicant: hoc nonnihil est: attamen non ita habet. Nam quòd dignitatem ministerij attinet, sanè nostra memoria constat pompam & luxum, non dignitatem fuisse. Cum porrò ministri suum munus probè exequentur, abundè spiritus sanctus dignitatem, laudem, gloriam, & honores omnes conciliabit. Id quod uidemus, tam multis sanctis uiris post Apostolos accidisse, qui sine his pompis sanctissimè rexerunt Ecclesias Christi. Quam enim dignitatem, aut autoritatem maiorem
2. Cor. 10 requiris illa, quã Paulus laudat Corinthiis? Ordinem porrò confundi & decorum, plane uanum est: quemadmodum calumnia est, quòd ceremonias laudabiles & uetustissi. aboleri quiritantur: atque Ecclesiam hanc læsæ maiestatis diuinæ ream faciunt. Nulla enim tanta uetustatis dignitas, uel patrum autoritas, quæ quidquam ualeat aduersus Dei autoritatem, uel Ecclesiæ ædificationẽ. Esto itaq; , multa sint in illis ceremoniis (quas aboleri indignè ferunt) autoritas uetustatis: Attamen si quid ab aliquo excogitatum aut usurpatũ sit temerè: nõ ea debet ecclesia seruitute premi, ut corrigere nefas

sit.

sit, aut mutare ac deponere. Quid si etiam stultè aut impiè? nempè, aut absque uerbi Dei autoritate & sine ulla ædificatione, aut contra uerbum, è uoluntatem Dei (id quod etsi non manifesta scriptura, attamen euentu probari potest, cum tam immensum superstitionum pelagus, tam multæ & horrendæ idolomaniæ inde secutæ sunt) Cur Ecclesia, uel quorum interest cessent ea tollere, quæ scandalo esse intelligant infirmis? Quicquid à Christo auertit, aut remoratur etiam, id sedulò tollendũ est. Præterea cum non omnia conuenire omnibus temporibus & personis non ignorent: quid piaculi erit patrum etiam sanctiss. instituta mutare, si ita ferant tempora & mores? Sed quid multis opus? Doceant isti omissum aliquid, aut mutatum, aut correctũ contra Dei uerbum, parata erit Ecclesia illa consilium sequi & obedire. Nam in iis, quæ nulla autorite uerbi Dei nituntur, credit summam sibi datam autoritatem tollendi uel retinendi. Tantum nequid in Ecclesia usurpetur, quod nõ ad ædificationem, & Ecclesia Christi dignum ordinem pertineat. Nam si quid tale non sit, tollendum omnino est: nisi Paulum malè precepisse fatemur, omnia ad ædi- 1. Cor. 14

ficationem, & decoro ordine fieri. Quanto magis si quid successu tẽporis scandalo esse
3. Reg. 18 incipiat tollendũ, exemplo Ezechiæ, qui nõ dubitauit serpentem illum tantis miraculis
Num. 21. clarum deiicere. An non meritò hic hærere bonus princeps debuit, cum serpentẽ à Deo fieri iussum? cum illis aspectu tanta beneficia consecutos Israëlitas meminisset? At docere populum iussisset, atq; ab superstitione & idolomania illa reuocasset: serpentem alicubi asseruari tanquam memoraculum diuinæ bonitatis iussisset. Imò uerò non tanti hæc fuerunt pio regi, quin occasionem idolo
1. Cor. 5. latriæ tolleret è populo. Malum (inquit Apostolus) de medio uestri tollite: &, malum
Rom. 12. odio persequimini. Iam igitur dabunt hoc, credo, boni uiri: tollendum omnino quicquid scandalo esse potest, non dico impiis (ut iam uulgo clamatur, hoc facimus ne scandalizemus quenquam, scilicet mundum) sed piis adhuc infirmis. Quicquid idolomaniæ instrumentum est: quicquid deniq; falsas opiniones gignit & stabilit, tollendum est.

Sed singula uideamus, quæisti reprehendũt. Primum est, sermo uernaculus pro peregrino institutus. Hoc autem nimis crassum est: pugnat enim cum expresso uerbo Dei. Quo

si

si non sunt contenti: quid æquius, quàm sin- 1. Cor. 14
gulos in Ecclesia, quicquid ibi fit aut dicitur intelligere, quò ædificentur, consolentur, instituantur? Impium itaq; & stultum nimis hoc fuit, homines, si uel orarent, uel laudes Deo canerent, eo uti sermone, quem nõ intelligerent. Eodem pertinet ipse cantus seu modulatio, cui nullus locus esse debet in Ecclesia, nisi ita moderato ut ab omnibus intelligi possit. non enim est in Ecclesia iubilandum, sed canendum. Lectionem autem Euangeliorum & Epistolarum Ecclesia non omisit, sed restituit. Illi potius omiserũt, qui sic truncatim legerunt, uti uidemus in Ecclesiis, quæ sub papatu sunt adhuc fieri. Iam illa Ecclesia, & si quæ sunt aliæ reformatæ, Euangeliorum & Epistolarum, imò totius sacri libri scripturas omnes ordine populo prælegunt, & exponunt. Id quàm sit Ecclesiæ utilius, quàm quod fieri solebat, est facilè intelligere, qui iudiciũ syncerum sine ullo affectu attulerit. Et siquis historias legerit, facilè intelliget hunc morem fuisse in priore Ecclesia seruatum quamdiu uiguit cum prophetia linguarum donum. Tandem his cessantibus, & eruditione fœdata à Barbaris, cœpit hic usus frustulatim recitandi

portiunculas quasdam Euangelij, cum hos miliis. Atq; id tolerabile utcunq; fuit aliquandiu: donec extinctis omnibus his donis, pro scripturis sanctis legi cœperunt scripta patrum uetustiorum, ac deniq; recentiorũ, ut Gregorij & aliorum similium. Preces etiam usurpari solitas ab Ecclesia Romana frustra omissas accusant: Nam una oratione quæ perpetuò repetitur ea omnia postulãtur à Deo, quæ ipse nos petere præcipit. Orationes quæ ad sanctos mortuos diriguntur, aut in sanctorum nomine fiunt, non temere Ecclesia reiicit: cum mandatũ habeat, in nomine Christi petere, & hunc unũ mediatorem agnoscere, atque etiam exemplar uitæ propositum sequi & imitari. Cum porrò hac in re & superiore, puta, in lectione scripturarum, & in precibus, quàm proxime potest simplicitatem Apostolorum sequitur, nullius alterius Ecclesiæ morem dãnat. Tantum ne quid usquam sit contrarium uerbo Dei, uel quod dignitatem Christi mediatoris obfuscare queat. Alioqui in iis externis summa est Ecclesiæ libertas, nempè ut id sequantur omnes Episcopi & ministri, quod suæ Ecclesiæ maximè expedit ad ædificationem, & ad promouendum gloriã Dei.

Vna

Vna hic cautio est, ne superciliosè quidquã imperemus Ecclesiæ, putantes admodum sapere. Est enim data autoritas in Ecclesiam nulli ulla, nisi ad ædificationem. Id etiam cauendũ, ne ulli cœtui sua libertas eripiatur, quod fit, si cogitur altera alterius exemplũ sequi, aliter quàm in Christo. Exemplo id fiet clarius: aliqua Ecclesia cantu utitur modesto, non iubilatorio, optimè, & cum exẽplo uetustißimæ Ecclesiæ: modò his modis ea insit moderatio, & grauitas, quæ deceat Ecclesiam Dei. Alij enim modi decent Ecclesiam in Sacris peragendis, ubi cum Deo nobis res est: alij mensam, ubi uoluptati auriũ seruire licet. Aliam rursum uideas, quæ nullo cantu utitur. Hiccinè altera ab altera iudicanda? Imò commendat utraq; alterius studium, quòd quæ maximè ad ædificationẽ pertinent utraq; pro moribus suorum hominum spectet. Commẽdat enim fidem, non uiolat ceremoniarum externarum in Ecclesiis uarietas. Vti non minus doctè quàm piè docuit Iræneus in componenda illa tristi discordia de die Paschæ, quam Sathan excitârat inter Asianos Episcopos & Europæos. Rursum quibusdam Ecclesiis satis est quaser in anno Cœnam celebrare: aliis frequen- 2. Cor. 10

Euseb. hist. Eccl. lib. 5. capi. 24.

Vide Chryſoſt.

tius. Quid hic una in alteram habet cauſæ, ut quæ frequentius communicat, illam damnet, quæ rarius? aut contrà? Spectata modò ſit utrobiq; gloria Dei, & ædificatio Eccleſiæ, nihil obſtat. Attamen quotidianũ uſum omiſerunt Eccleſiæ ferè omnes, neque id (meo iudicio) inconſultò: Nam facilè tam frequenti uſu res redeat in antiquam ſuperſtitionem: ut populo, alioquin negotiis huius uitæ occupato, haud quaquam expediat ita frequens uſus: & non caret ſuperſtitione ſi ſoli miniſtri & preſbyteri communicent. * At concionem quotidianã nemo pius reprehendet. Nihil enim eſt quòd ab operis ſeruos aiunt reuocari: Nam pro iis ita diluculo habetur, ut ſit dici auſpicium, quò & doctrina Euangelica moniti fidelius ac diligentius ſuum agant officium, & ſanctificati per uerbum ac Dei inuocationem fœlicius agant. Nihil de ueſtibus hic præcipi fortaſſe aliqui murmurabunt. Id uno uerbo illis reſponſum uelim. Cum de ueſtibus ad miniſterium adhibendis Paulus nihil uſpiam doceat: Ne tum quidem cum de Euchariſtia acturus mulieribus ſuum ornatũ præſcribit: quid hic Eccleſiam Dei iugo uis premere? q̃ neq; de die feſti parte, neq; de cibo, neq; de potu

* ne opus ipſorum pro alius ualere putetur, atque ita opinio operis operati ualeat.

Coll. 2.

potu iudicari uult Paulus. In quotidiano usu sit ministrorum uestitus modestus ac grauis, ab omni luxu & fastu alienus. In eodem ministrent populo. Nam non est uestibus dignoscendus à suis: sed uerbi Dei potentia ac sollicita sedulitate, & omni morum comitate atq; benignitate: ut armentarius aliquis non ueste à suis omnibus agnoscitur, sed sibilo, sed cura sedula & pabulo & fida custodia. Cum uerò uideamus quantus abusus sit in uestibus illis, quas nisi carminibus horrendis infectas non admittũt Papistæ: alioqui uix sacra peragi posse putant: nec facilè eximatur hominum animis superstitio, nisi tollantur irritamenta omnia, dignum censeo Ecclesiam Dei summa simplicitate hic uti. pluris autẽ sit nobis unius, atq; adeò minimi scãdalum, quàm 10000 hostiũ, qui, nisi pessimi essent, haud quaquam offenderentur. Iam in Sacramentorum administratione uideamus quid omissum uideri possit. In baptismo imprimis non ignoro quàm multa omissa sint, quæ etiam antiquissima fuerunt. Sed nulla antiquitas maior est uerbo Dei, quod est antiquitate ipsa antiquius. Quid autem miramur si statim post tempora Apostolorum creuit superstitio in Ecclesia, cum

(nisi iis admodum modestis, & remotis ab omni luxu)

ipsis Apostolis iam facesserent negotium hæretici? Cum his adeò grauibus in causis erat contentio doctissimis & sanctissimis uiris, ut non mirum sit, illos subinde neglexisse quædam, quæ alias nunquam fuerant toleraturi. Hæ sunt Sathanæ artes.

Attamen, uti dictum est, nihil Ecclesia ista Argentinensis omisit, quod nitebatur uerbo Dei. Nec quidquam præterea, quod ad ædificationem pertineret: uti quòd susceptores seu fideiussores puerum cum parente baptizandum offerunt. Est enim hoc ualdè antiquum, & habet aliquam iustam rationem. Illi enim nomine Ecclesiæ fidem pro puero testantur, atq; se obstringunt illum instituendum curaturos. Sed siquid erat uel leuiter usurpatum à populo, uel temerè ab aliquo excogitatum, successu autem temporis in superstitionem conuersum, id omissum est: uti sunt cereus, chrisma, oleum, flatus, exorcismi, aquæ consecratio, quæ omnia uidemus eo fuisse loco, & creuisse numero, ut iam nõ tantum òbfuscaretur, sed ferè obliteraretur ipse baptismus, pluriscq; fierent illa, quàm hic. Tota enim uis putabatur in exorcismo, aquæ consecratione, oleo & chrismate. Quæ cum tam crassa sint, nemo, nisi

niſi cæcus ſit, aut planè alienus à Deo, non uidet fuiſſe tollenda. Sic olim præguſtatio lactis & mellis, ueſtis alba per octiduum à baptizatis ſolita portari, & alia his ſimilia iam mox poſt Apoſtolorum tempora fuerunt introducta in Eccleſiam: quæ tamen à poſteris omiſſa nemo reprehendit. Quo imiquiores ſunt, qui ridicula quædam nuper uſurpata leuiter, iã ſublata propter graues cauſas ab hac ſancta Eccleſia queruntur. Deſino pluribus agere: Neq; enim præſentis eſt inſtituti omnia diligentius perſequi. Cum etenim illa Eccleſia Chriſti inſtitutum quàm proximè ſequatur, & Apoſtolorum exemplum: cuiuſnam fuerit hoc æquitatis, damnare ipſam, quòd nolit Chriſto Deo ac ſeruatore noſtro ſapientior uideri?

In Euchariſtiæ celebratione non ſolum multa omiſſa, ſed totam ſuam miſſam queruntur abolitã. At uerò ita neceſſe fuit, cum uſq; adeò inſaniſſet Eccleſia Romana, ut prætermiſſa Chriſti inſtitutione, placitis hominũcionum adhæreret: imò totam Domini noſtri Ieſu inſtitutionem ſic ſpreuiſſet, ut nefario auſu iam non Sacramentum populo miniſtraretur, ſed idolũ panis adorandũ obtruderetur. An hoc ſacrilegium ullam reue

rentiam merebatur, ut quicquam illius rectineri, aut attingi religiosius (uti nonnullis uidetur) deberet? Non hoc dignandum honore ut quidquam inde petitum aut seruatum laudemus. Itaq; Ecclesia ista cum multis aliis spiritum Christi secuta sese retulit ad ipsam diuinam institutionem: ut eã quàm simplicissimè & fidissimè posset in usum reuocaret. Proinde non possum hic diutius immorari, aut tempus terere excusando factum, quod summam laudẽ meretur, quodq; omnes quotquot Christi esse uolunt sedulò imitari debent.

Proinde hortor, & obsecro per uiscera misericordiæ Domini nostri Iesu Christi, quotquot censeri nomine ipsius uelint, Reges, Principes, Episcopos, Pastores, & Magistratus, quos tangit ulla numinis Dei reuerentia: ne temerè Ecclesiam illam, uel quotquot sunt pij fidei eiusdem (adhuc tamen sub ipsorum imperio agentes) damnare uelint: sed potius hoc exemplum tanquam sibi à Deo datum diligenter intueri, ac sibi imitandum, atque etiam superandum proponere.

Quòd si nondum impetrari potest: saltem Traianum illum Roma. Imperatorem imi-

imitentur, & iras remittãt: desinantq; porrò nihil de ipsis meritam malè Christi Ecclesiam crudeliter persequi, aut potius Christum ipsum insectari, cogitantes quàm sit difficile ac periculi plenum contra stimulum calcitare. Actu. 9.

Dicendum esset fortasse aliquid de cæteris ceremoniis reliquarum Liturgiarum coniugij & pœnitentiæ, ac ordinationis ministrorum Ecclesiæ, nisi ea essent clariora, quàm ut explicatione indigeant. ac fortasse hæc attingentur in Aphorismis nostris de disciplina Ecclesiastica. Hoc tantum monuisse satis sit, Nihil huius Ecclesiæ exẽplo simpliciter damnari secus ab aliis usurpatum, nisi id sit contra uerbum Dei. Etenim uti supra monuimus, in ceremoniis & rebus externis omnibus summa est Ecclesiæ libertas. Tantum omnia seruiant ædificationi & ordini ac decoro. 1. Cor. 14

Faxit Christus Iesus ut suo spiritu depulsis ignorantiæ tenebris, lux ueritatis ita exoriatur, ut filio perditiõis agnito, ac prorsus exturbato agnoscatur ab omnibus Christus uerus pastor, ac caput unicum Ecclesiæ suæ, Idemq; regnet in cordibus omnium in æternum, Amen.

ELEN

ELENCHVS CAPITVM LIB. HVIVS.

Liturgia diei Dominici. Fol. 1.
Liturgia Cœnæ Domini. 7.
Cathechismus, seu Liturgia pomeridiana. 11.
Liturgia vespertina. 12.
Liturgia quotidiana. eod.
Liturgia pœnitentiæ. eod.
Liturgia baptismi. 17.
Liturgia benedictionis cõiug. 23.
Liturgia visitationis ægroto. 26.
De ordinatione ministrorum. 28.
De disciplina Ecclesiastica. 31.
Admonitio ad pium lectorem pro liturgia. 32.

PSALM. 1459.

Laudem Deo canite in Ec-
clesia Sanctorum.

IMPRESSVM LONDINI
per Stephanum Mierdmannū.
23. Februar. AN.
M. D. LI.

S. D. S. M.